

I. Pluth fec.

LIBER
PRECUM
ET
HYMNORUM
PIETATI
Adolescentis Christiani
Sacer.

Per
T. M. P. Z.

Editio tertia emendatior.

Zagrabiae
Typis Novoszelianis 1815.

Petite, et accipietis. Matth. 7.

Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis. Jacob. 4. v. 3.

Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare. Joan. 4.

Deus — principium, et finis universorum.

Deum ergo lingva primum concinat, primum sonet, votaque prima solvamus Domino.

S. Climac. in Scal.

DE ANNO,
EJUSQUE PARTIBUS.

Annus habet *Menses* bis senos ordine tali:
Janus, Februs, Mars, Aprilis, Majus, Juni,
Julius Augustus, Septem- Octo- Novemque, December.

Hebdomadas habet 52. et diem unam.

Dies habet 365. et sex fere horas, quæ omni anno quarto horas 24. seu diem integram efficiunt, qui inter 23, et 24. February intercalatur: unde annus 366. dierum vocatur *Intercalaris*, et *Bissextilis*, vel *Bissextus*, qnia secundum Computum Romanum 24 et 25 February, adeoque bis, dicitur: *Sexto Calendas Martii.*

Quot diebus constat singulus Mensis?

Triginta Aprilis, Junus, Septemque Novemque:
Unò plus alii: viginti Februus octo,
Cuî, si Bissextus fuerit, superadditur unus.

Ratio computandi dies more Romano.

Dies prima mensis *Calendae* vocatur: quinta *Nonae*, decima tertia *Idus*, si mensis habet *Nonas* quatuor: si habet sex, tum septima dies *Nonae* decima quinta *Idus* appellantur: dies vero retrorsum numerantur, adeoque *Calendarum* designatio fit a mense sequente.

Quot Nonas, Idusve *aliquis mensis habet?*

Majus sex *Nonas*, October, Julius, et Mars:
Quatuor at reliqui, tenet *Idus* quilibet octo,

Inde

Inde dies reliquos omnes dic esse *Calendas*,
Quas retro numerans dices a mense ſequente.

Quatuor Tempora jejunabis:

Diebus Mercurii, Veneris, ac Sabbathi poſt Domin. primam Quadrages: poſt Dominic. Pentecoſtes: poſt feſtum Exaltat. S. Crucis et S. Luciae, juxta verſum:

Poſt Cineres, Pent, Crux et Luc jejunia ſerva.

Quatuor Anni Tempora.

Papa diem *Linus*, et *Benedictus* noctibus æquant:
Maxima *Gonzagae* lux eſt, *Thomae*que breviſſima ſemper;
Clemens dat *Brumam:* Cathedra Antiochena Petri *Ver:*
Æſtatem Urbanus: *Authumnum* Symphorianus.

TABULA
FESTORUM MOBILIUM.

Anno	L. D.	Dies Cinerum	Pascha	Pentecostes	D. I. Adv.
1815	A	8Febr.	26Mar	14Maj	3Dec
1816	g f	28Febr.	14Apr	2Jun	1Dec
1817	e	19Febr.	6Apr	25Maj	30No
1818	d	4Febr.	22Mar	10Maj	29No
1819	c	24Febr.	11Apr	30Maj	28No
1820	b A	16Febr.	2Apr	21Maj	3Dec
1821	g	7Mart.	22Apr	10Jun	2Dec
1822	f	20Febr.	7Apr	26Maj	1Dec
1823	e	12Febr.	30Mar	18Maj	30No
1824	d c	3Mart.	18Apr	6Jun	28No
1825	b	16Febr.	3Apr	22Maj	27No
1826	A	8Febr.	26Mar	14Maj	3Dec
1827	g	28Febr.	15Apr	3Jun	2Dec
1828	f e	20Febr.	6Apr	25Maj	30No
1829	d	4Mart.	19A[illegible]	7Jun	29No
1830	c	24Febr.	11Apr	30Maj	28No
1831	b	16Febr.	3Apr	22Maj	27No
1832	A g	7Mart.	22Apr	10Jun	2Dec
1833	f	20Febr.	7Apr	26Maj	1Dec
1834	e	12Febr.	30Mar	18Maj	30No
1835	d	4Mart.	19Apr	7Jun	29No
1836	c b	17Febr.	3Apr	22Maj	27No
1837	A	8Febr.	26Mar	14Maj	3Dec
1838	g	28Febr.	15Apr	3Jun	2Dec
1839	f	13Febr.	31Mar	19Maj	1Dec
1840	e d	4Mart.	19Apr	7Jun	29No
1841	c	24Febr.	11Apr	30Maj	28No

JA-

JANUARIUS.

Habet dies XXXI. Luna vero 29.

A	*Kal.*	1	*Circumcisio Domini.*
b	IV.	2	Macarii Alexandrini.
c	III.	3	Genovefae Virg.
d	*Pridie*	4	Rigoberti Episc.
e	*Nonae*	5	Telesphori Papae, et Mart.
f	VIII.	6	*Epiphania Domini.*
g	VII.	7	Raymundi Confess.
A	VI.	8	Laurent. Justin. Erhard. E.
b	V.	9	Juliani Mart.
c	IV.	10	Marciani Confess.
d	III.	11	Hygini Papae, et Mart.
e	*Pridie*	12	Ernesti Episc.
f	*Idib.*	13	Godefridi Comitis.
g	XIX.	14	Hilarii Confess.
A	XVIII.	15	Pauli primi Eremitae.
b	XVII.	16	Marcelli Papae, et Mart.
c	XVI.	17	Antonii Abbatis.
d	XV.	18	Cathedra S. Petri Romae.
e	XIV.	19	Canuti R. Marii, Marthae.
f	XIII.	20	Fab. et Seb. MM. *Sol in A-*
g	XII.	21	Agnetis V. et Mart. (*quar.*
A	XI.	22	Vincentii, et Anastasi MM.
b	X.	23	Despons. B. M. V. Joan. El.
c	IX.	24	Timothei Episc. et Mart.
d	VIII.	25	Conversio S. Pauli Apost.
e	VII.	26	Policarpi Episc. et Conf.
f	VI.	27	Joann. Chrysost. Ep. et C.
g	V.	28	Margaritae V. R. H. F.
A	IV.	29	Constantini Ep. et M.
b	III.	30	Adelgundis Virg.
c	*Pridie*	31	Petri Nolasci Confess.

FE-

FEBRUARIUS.

Habet dies XXVIII. Luna vero 30.

d	*Kal.*	1	Ignatii Ep. et M. S. Brig. V.
e	IV.	2	*Purificatio B. M. V.*
f	III.	3	Blasii Episc. et Mart.
g	*Pridie*	4	Andreae Corsini Conf.
A	*Nonae*	5	Agathae V. TriumMM.S.J.
b	VIII.	6	Dorotheae V. M. Amand.E.
c	VII.	7	Romualdi Abb. Richard.R.
d	VI.	8	Joannis de Matha.
e	V.	9	Apolloniae Virg. et Mart.
f	IV.	10	Scholast. V. Guilielmi Er.
g	III.	11	Victoriae Virg. et Mart.
A	*Pridie*	12	Antonii E. EulaliaeV.et M.
b	*Idib.*	13	Jordani C. Tranquilli M.
c	XVI.	14	Valentini Presbyt. et Mart.
d	XV.	15	Faustini, et Jovitae Mart.
e	XIV.	16	Nicephori M. Julianae V.M.
f	XIII.	17	Sabini Ep. Juliani Mart.
g	XII.	18	Simeonis Episc. et Mart.
A	XI.	19	Conradi Placeen. C. (*Sol in*
b	X.	20	Eleutherii Episc. *Piscib.*)
c	IX.	21	Maurit. et Soc. MM. Eleon.
d	VIII.	22	Cathed. S. Petri Antioch.
e	VII.	23	Nicolai Confess.
f	VI.	24	Mathiae Apostoli.
g	V.	25	Victorini M. Tarasii Ep.
A	IV.	26	Porphyrii Episcopi.
b	III.	27	Athanasiae.
c	*Pridie*	28	Lupicini, et Romani C.

Anno Bissextili additur unus dies, et fit mensis dierum 29, sed festum S. Mathiae celebratur die 25 et dicitur bis Sexto Kal. hoc est 24 et 25 die mensis. Et sic litera Dominicalis mutatur in praecedentem ut si fuit A, in G, et si fuit F, in E, etc.

MARTIUS.

Habet dies XXXI. Luna vero 29.

d	*Kal.*	1	Switberti Episcopi.
e	VI.	2	Simplicii Papae.
f	V.	3	Cunigundis Augustae V.
g	IV.	4	Casimiri Confessoris.
A	III.	5	Adriani M. et Frider. Conf.
b	*Pridie*	6	Coletae Virginis.
c	*Nonae*	7	Thomae de Aquino.
d	VIII.	8	Joannis de Deo Confess.
e	VII.	9	Franciscae Rom. Vid.
f	VI.	10	Quadraginta Martyrum.
g	V.	11	Constant. C. (et Xav. S. J.
A	IV.	12	Greg. P. et C. Canon. Ss. Ig.
b	III.	13	Rosinae Virginis.
c	*Pridie*	14	Petri Abbatis.
d	*Idib.*	15	Longini Martyris.
e	XVII.	16	Heriberti Episcopi.
f	XVI.	17	Gertrudis V. Patricii E. et C.
g	XV.	18	Cyrilli Ep. Eduardi M.
A	XIV.	19	Josephi Sponsi B. M. V.
b	XIII.	20	Joach. C. Patr. B.M.V. *(Sol*
c	XII.	21	Benedicti Abb. *in Ariete)*
d	XI.	22	Catharinae Suecae Virg.
e	X.	23	Othonis Confessoris.
f	IX.	24	Gabr. Arch. Sim. Trid. M.
g	VIII.	25	*Annunciatio B. M. V.*
A	VII.	26	Ludgeri Episcopi.
b	VI.	27	Ruperti Episcopi.
c	V.	28	Gunthrami Reg. Franc.
d	IV.	29	Mechtildis Virginis.
e	III.	30	Reguli Episcopi.
f	*Pridie*	31	Benjamini Mart. Balbinae M.

APRI-

APRILIS.

Habet dies XXX. Luna vero 29.

g	*Kal.*	1	Hugonis Ep. Walerici Abb.
A	IV.	2	Francisci de Paula Confess.
b	III.	3	Richardi Episcopi.
c	*Pridie*	4	Isidori Ep. Josephi Herm. C.
d	*Nonae*	5	Vincentii Ferrerii Confess.
e	VIII.	6	Guilielmi Abbatis.
f	VII.	7	Alberti Confessoris.
g	VI.	8	Dionysii Episcopi.
A	V.	9	Mariae Ægyptiacae.
b	IV.	10	Macarii Patriarchae.
c	III.	11	Leonis Papae, et Confess.
d	*Pridie*	12	Julii Papae. Alserici Abb.
e	*Idib.*	13	Hermenegildi M. Justini M.
f	XVIII.	14	Tiburt. Valer. et Maxim. MM.
g	XVII.	15	Lidwinae Virginis.
A	XVI.	16	Callisti M. Joach. O. serv. B. V.
b	XV.	17	Rudolphi M. Anicet. P. M.
c	XIV.	18	Ursmari Confessoris.
d	XIII.	19	Antoniae V. et M. Theod. M.
e	XII.	20	Agnetis Polit. V. *Sol in Tau-*
f	XI.	21	Anselmi Episcopi. *(ro*
g	X.	22	Soteri et Caji MM.
A	IX.	23	Adalberti Episcop. et Mart.
b	VIII.	24	Georgii Martyris.
c	VII.	25	Marci Evangelistae.
d	VI.	26	Cleti, et Marcelli PP. MM.
e	V.	27	Sitae Virginis.
f	IV.	28	Vitalis Martyris.
g	III.	29	Petri Martyris.
A	*Pridie*	30	Catharinae Senens. Virg.

MA-

MAJUS.

Habet dies XXXI. Luna vero 30.

b	*Kal.*	1	Philippi, et Jacobi A. Sigism.
c	VI.	2	Athanasii Ep. et Confess.
d	V.	3	Inventio S. Crucis.
e	IV.	4	Monicae Vid. Floriani M.
f	III.	5	Gothardi Episcopi.
g	*Pridie*	6	Joannis ante Portam Lat.
A	*Nonae*	7	Stanislai Episc. et Mart.
b	VIII.	8	Apparatio S. Mich. Arch.
c	VII.	9	Gregorii Nazianzeni Ep.
d	VI.	10	Antonii Episcopi.
e	V.	11	Beatricis Virginis.
f	IV.	12	Pancratii Episcopi.
g	III.	13	Alexandri Mart.
A	*Pridie*	14	Victoris, et Coronae MM.
b	*Idib.*	15	Isidori Martyris.
c	XVII.	16	Joann. Nepom. Ubaldi E. C.
d	XVI.	17	Torpetis Martyris.
e	XV.	18	Erici Reg. Martyr.
f	XIV.	19	Ivon C. Advoc. Paup.
g	XIII.	20	Bernard. Senen. *(Geminis*
A	XII.	21	Synesii Martyr. *Sol in)*
b	XI.	22	Juliae Mart. Basilii Mart.
c	X.	23	Desiderii Episcopi.
d	IX.	24	Simeon. Stylitae Junioris.
e	VIII.	25	Urbani Papae et Mart.
f	VII.	26	Eleutherii Papae, et Mart.
g	VI.	27	Joannis Papae, et Mart.
A	V.	28	Germani Episc. Paris.
b	IV.	29	Theodosiae Mart.
c	III.	30	Felicis Papae, et Mart.
d	*Pridie*	31	Petronilae Virginis.

JU-

JUNIUS.

Habet dies XXX. Luna vero 29.

e	*Kal.*	1	Simeonis Confessoris.
f	IV.	2	ErasmiEp. Marcel.Soc.MM.
g	III.	3	Clotildis Reginae.
A	*Pridie*	4	Gualberti Conf. Optati Ep.
b	*Nonae*	5	Bonifacii Ep. et Martyr.
c	VIII.	6	Norberti Ep. et Cenfess.
d	VII.	7	Roberti Abbatis.
e	VI.	8	Medardi Episc. et Mart.
f	V.	9	Primi, et Feliciani MM.
g	IV.	10	Onuphrii Eremitae.
A	III.	11	Barnabae Apostoli.
b	*Pridie*	12	Basilidis, et Soc. MM.
c	*Idib.*	13	Antonii de Padua. Ferd. C.
d	XVIII.	14	Basilii Magni Ep. et Conf.
e	XVII.	15	Viti, Modesti, MM.
f	XVI.	16	Fran. Reg. S.J. Berthold.C.
g	XV.	17	Adolphi Episcopi.
A	XIV.	18	Marcelli,etMarcelliani.MM.
b	XIII.	19	Julian. de Falc. Virg.
c	XII.	20	Silverii P. et M. (cro
d	XI.	21	Aloysii C. S. J. *Sol in Can-*
e	X.	22	Paulini Ep. et Confess.
f	IX.	23	Sidoniae Virg.
g	VIII.	24	Nativitas S. Joann. Baptist.
A	VII.	25	Febroniae V. M. Gallicani
b	VI.	26	Joannis, et Pauli MM.
c	V.	27	Ladislai Conf. Reg. Hung.
d	IV.	28	Leonis Pap. et Conf. *Vig.* †
e	III.	29	*Petri, et Pauli Apost.*
f	*Pridie*	30	Commemor. S. Pauli Ap.

JU-

JULIUS.

Habet dies XXXI. Luna vero 29.

g	*Kal.*	1	Eberhardi Episcopi.
A	VI.	2	Visitatio B. M. V.
b	V.	3	Heliodori Episcopi.
c	IV.	4	Udalrici Episcopi.
d	III.	5	Wilhelmi Abbatis.
e	*Pridie*	6	Godolevae Mart.
f	*Nonae*	7	Wilibaldi Ep. (cum Soc. M.
g	VIII.	8	Elisabet. R. Port. Kiliani)
A	VII.	9	Anatoliae Virg. Mart.
b	VI.	10	Sept. Fr. MM.
c	V.	11	Pii Papae, et Mart.
d	IV.	12	Naboris, et Felicis MM.
e	III.	13	Margaritae V. M. in Hung.
f	*Pridie*	14	Bonav. Episc. et Conf.
g	*Idib.*	15	Divisio Ap. Henrici Imp.
A	XVII.	16	Fausti M. Vitaliani Ep.
b	XVI.	17	Alexii C. Andr. et Ben. MM.
c	XV.	18	Symphor. cum 7 Fil. MM.
d	XIV.	19	Vincentii a Paulo. Arsen. C.
e	XIII.	20	Marg. V. et M. in Ger.
f	XII.	21	Danielis Pr. *Sol in Leone.*
g	XI.	22	Mariae Magdalenae.
A	X.	23	Apollinaris Ep. et Mart.
b	IX.	24	Christinae V. et M. 1868
c	VIII.	25	Jacobi Ap. Christophori M.
d	VII.	26	Annae Matris B. M. V.
e	VI.	27	Pantaleonis M.
f	V.	28	Inocentii Papae, et Mart.
g	IV.	29	Marthae Virginis.
A	III.	30	Abdon, et Senon MM.
b	*Pridie*	31	Ignatii Lojol. C. S. J. Fund.

AU-

AUGUSTUS.

Habet dies XXXI. Luna vero 30.

c	*Kal.*	1	Petri ad Vinc. Machab. M.
d	IV.	2	Steph. Pap. et M. Portiunc.
e	III.	3	Invent. S. Stephani Protom.
f	*Pridie*	4	Dominici Confess.
g	*Nonae*	5	Dedicatio S. Mariae ad Niv.
A	VIII.	6	Transfiguratio Domini.
b	VII.	7	Cajetani C. Donati Ep. et M.
c	VI.	8	Cyriaci, et Socior. MM.
d	V.	9	Roman Martyr.
e	IV.	10	Laurentii Martyr.
f	III.	11	Tiburtii, et Susanae MM.
g	*Pridie*	12	Clarae Virginis.
A	*Idib.*	13	Hypoliti, et Cassiani MM.
b	XIX.	14	Eusebii C. Athan. V. *Vig.* †
c	XVIII.	15	*Assumptio B. M. V.*
d	XVII.	16	Hyacinthi Conf. et Rochi.
e	XVI.	17	Sybillae Virginis.
f	XV.	18	Helenae M. Con. Mag. Imp.
g	XIV.	19	Ludovici Tolosani Ep.
A	XIII.	20	*Stephani R. Hung.* Bern. Ab.
b	XII.	21	Anastasii M. et Fidel. Mart.
c	XI.	22	Timothei, et Soc. MM.
d	X.	23	Philip. Benit. *Sol in Virg.*
e	IX.	24	Bartholomaei Apostoli.
f	VIII.	25	Ludovici R. Fanc. Conf.
g	VII.	26	Zephyrini Papae, et Mart.
A	VI.	27	Caesarii Episcopi.
b	V.	28	Augustini Ep. C. et Eccl. D.
c	IV.	29	Decoll. S. Joan. Bapt.
d	III.	30	Felicis, et Adaucti MM.
e	*Pridie*	31	Raymundi Nonnati Conf.

SE-

SEPTEMBER.

Habet dies XXX. Luna vero 29.

f	*Kal.*	1	Aegidii Abbatis.
g	IV.	2	Angeli Custodis. Jodoci E.
A	III.	3	Mansueti Ep. Alberti C.
b	*Pridie*	4	Rosaliae Virg. Rosae V.
c	*Nonae*	5	Victorini M. Eudoxii M.
d	VIII.	6	Magni Abb. Zachariae Pr.
e	VII.	7	Reginae Virgin. et Mart.
f	VI.	8	*Nativitas B. M. V.*
g	V.	9	Gorgonii Martyris.
A	IV.	10	Nicolai Tolet. Confeſs.
b	III.	11	Hyacinthi M Patientis. E.
c	*Pridie*	12	Guidonis Conf. et Tobiae.
d	*Iidb.*	13	Mauritii Episcop.
e	XVIII.	14	Exaltatio S. Crucis.
f	XVII.	15	Hildegardis V. Nicomed. M.
g	XVI.	16	Euphemiae Virg.
A	XV.	17	Stigm. S. Franc. Lamb. E.
b	XIV.	18	Thomae a Vila nova.
c	XIII.	19	Constantiae Virg, et Mart.
d	XII.	20	Euſtachii, et Soc. MM.
e	XI.	21	Mathaei Ap.et Ev. Jonae Pr.
f	X.	22	Mauri,etSoc.MM. *Sol in* [illegible]
g	IX.	23	Lini Pap. M. Theclae V. M.
A	VIII.	24	Fest. B. M. V. de merc.
b	VII.	25	Cleophae Discip. Christi.
c	VI.	26	Cypriani, et Juſtinae MM.
d	V.	27	Cosmae et Damian. MM.
e	IV.	28	Wenceslai Martyris.
f	III.	29	Dedicat. S. Michaelis Arch.
g	*Pridie*	30	Hieron. Presb. C. et Eccl.D.

OCTO-

OCTOBER.

Habet dies XXXI. Luna vero 30.

A	*Kal.*	1	Remigii Ep. Niceti Ep.
b	VI.	2	Leodegarii Ep. et Mart.
c	V.	3	Simplicii Confefs.
d	IV.	4	Francisci Confefs.
e	III.	5	Placidi et Sociorum MM.
f	*Pridie*	6	Brunonis Confefs.
g	*Nonae*	7	Marci Papae Confefs.
A	VIII.	8	Birgittae Vid. Pelag. Poen.
b	VII.	9	Dionysii et Socior. MM.
c	VI.	10	Franc. Borg. C. S. J.
d	V.	11	Jacobi Alemanni Conf.
e	IV.	12	Maximiliani Ep. et Mart.
f	III.	13	Colomanni Mart.
g	*Pridie*	14	Calisti Papae Mart.
A	*Idib.*	15	Theresiae Virg.
b	XVII.	16	Galli Abbatis.
c	XVI.	17	Hedvigis Duc. Andreae M.
d	XV.	18	Lucae Evangelistae.
e	XIV.	19	Petri de Alcant. Ferdin. E.
f	XIII.	20	Caprasii Mart.
g	XII.	21	Urfulae et Soc. MM.
A	XI.	22	Cordulae Virg. et Mart.
b	X.	23	Severini Ep. M. *Sol In Scorp.*
c	IX.	24	Procli Ep. Crispini Conf.
d	VIII.	25	Crysanthi, et Dariae MM.
e	VII.	26	Demetrii Mart.
f	VI.	27	Sabinae Virg.
g	V.	28	Simonis, et Judae Ap.
A	IV.	29	Narcifs. Episcopi.
b	III.	30	Marcelli Mart.
c	*Pridie*	31	Wolfgangi Episc. *Vig.* †

NO.

NOVEMBER.

Habet dies XXX. Luna vero 29.

d	*Kal.*	1	*Omnium Sanctorum.*
e	IV.	2	Commemor. Omn. Fid. Def.
f	III.	3	Huberti Episc.
g	*Pridie*	4	Caroli Boromaei Episc.
A	*Nonae*	5	Emerici Confess.
b	VIII.	6	Leonardi Confess.
c	VII.	7	Engelberti Episcopi.
d	VI.	8	4. Coronat. MM. Godefr. M.
e	V.	9	Dedic. Basil. Salvat.
f	IV.	10	Tryphonis Mart.
g	III.	11	Martini Episcopi.
A	*Pridie*	12	Martini Papae Mart.
b	*Idib.*	13	Stanislai Kostka, S. J.
c	XVIII.	14	Serapionis Mart.
d	XVII.	15	Leopoldi C. March. Austr.
e	XVI.	16	Edmundi Confess.
f	XV.	17	Gregorii Thaumaturgi.
g	XIV.	18	Dedic. Basil. Petri et Pauli.
A	XIII.	19	Elisabethae Vid. Reg. Hung.
b	XII.	20	Felicis de Valois. Corbin. E.
c	XI.	21	Praesentatio B. M. V.
d	X.	22	Caeciliae v. M. *Sol in Sagit-*
e	IX.	23	Clementis Pap. M. *(taria.*
f	VIII.	24	Joann. a Cruc. Chrysog. M.
g	VII.	25	Catharinae Virg. et Mart.
A	VI.	26	Conradi Episcopi.
b	V.	27	Facundi Episcopi.
c	IV.	28	Rufini Mart.
d	III.	29	Saturnini Mart.
e	*Pridie*	30	Andreae Apost.

DE-

DECEMBER.

Habet dies XXXI. Luna vero 29.

f	*Kal.*	1	Eligii Episcopi.
g	IV.	2	Bibianae Virg. et Mart.
A	III.	3	Francisci Xav. Conf. S. J.
b	*Pridie*	4	Barbarae Virg. Mart.
c	*Nonae*	5	Placidi Mart. Sabbae Abb.
d	VIII.	6	Nicolai Episc. et Confeſs.
e	VII.	7	Ambrosii Ep. C. et Ec. D.
f	VI.	8	*Conceptio B. M. V.*
g	V.	9	Leocadiae Virg. et Mart.
A	IV.	10	Melchiadis Pap. Judithae.
b	III.	11	Damasi Pap. Confeſs.
c	*Pridie*	12	Sinesii Mart.
d	*Idib.*	13	Luciae Virg. Mart.
e	XIX.	14	Nicasii Episc.
f	XVIII.	15	Irenaei Mart.
g	XVII.	16	Albinae Virg. Mart.
A	XVI.	17	Lazari Episc. Confeſs.
b	XV.	18	Gratiani Ep. Modesti Ep.
c	XIV.	19	Nemesi Mart.
d	XIII.	20	Theophili Mart.
e	XII.	21	Thomae Apoſtol.
[illegible]	XI.	22	Zenonis M. *Sol in Capricor-*
[illegible]	X.	23	Victoriae Virg. Mart. *(no.*
[illegible]	IX.	24	Adami, et Evae. *Vig.* †
b	VIII.	25	*Nativitas D. N. J. C.*
c	VII.	26	*Stephani Proto-Mart.*
d	VI.	27	Joannis Ap. et Evang.
e	V.	28	Innocentium MM.
f	IV.	29	Thomae Episcopi.
g	III.	30	Davidis Regis.
A	*Pridie*	31	Sylveſteri Pap. Confeſs.

LI-

LIBER PRECUM.

Affectus Matutini.

Exiliens e lecto inter induendum dic:

In nomine Patris, et Filii et Spiritus ſancti. Amen.

Surgo in nomine omnipotentis Dei Patris, qui me creavit — Filii, qui me redemit — & Spiritus S. qui me ſanctificavit.

Domine Deus! nox haec praeteriit — ego experrectus ſum — et vivere me rursus ſentio. —

Ad te igitur, Bonitas infinita! primam levo cogitationem meam

ad

ad te — qui vitam mihi donasti — ad te — qui pro me etiam dormiente vigilabas.

Quanta est benignitas tua, qui creaturarum minimam tanta prosequeris cura!

Ita, Domine Deus! tu necessario bonus es — et haec cogitatio — *Te Bonum esse* — nunquam animo meo excidet — quam consolatoria est mihi haec cogitatio!

Preces Matutinæ.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.

Benedicta sit Sanctissima Trinitas, atque individua Unitas: Pater, qui me creavit; Filius, qui me redemit; Spiritus Sanctus qui me sanctificavit. Benedicta Domini Jesu Christi Mater, nunc, et semper, et per infinita saecula saeculorum; Amen.

Adoro te, Domine, ex toto corde meo: et gratias ago pro omnibus

bus beneficiis tuis in me collatis; ſed in primis pro cuſtodia in hac nocte, in qua, si te offendi; quaeso: clementer ignosce.

O mi Deus! en ego ſervus tuus ſiſto me coram Divina Majeſtate tua, cui ad majorem gloriam, in gratiarum actionem, in ſatisfactionem pro meis peccatis, in obsequium servitutis perpetuae, offero per manus Beatissimae Virginis Mariae, Sponsique ejus caſtissimi S. Josephi, S. Angeli Cuſtodis, Archangeli Michaelis, SS. Petri; et Pauli, Ignatii, et Xaverii &c. aliorumque Sanctorum, omnia hujus diei cogitata, dicta, factaque, denique vitam, ac mortem meam in unione meritorum Filii tui, Redemptoris mei, Chriſti Jesu. In recognitionem tuae æternae veritatis; et proteſtationem verae fidei, qua credo in te: Tuae misericordiae, meae ſpei, qua ſpero veniam, gratiam, et gloriam: Tuae infinitae bonitatis, et mei amoris,

quo

quo te propter te ſuper omnia amare desidero, et doleo, quod te, ſumma bonitas, aliquando offenderim; Tuae infinitae Majeſtatis, et meae adorationis: tuorum beneficiorum, et meae gratitudinis; tuae juſtitiae; et meae ſanctificationis pro omnibus peccatis meis. Denique in recognitionem tuae liberalitatis pro impetranda venia, gratia, et gloria, mihi, meisque Parentibus, fratribus carnalibus, et ſpiritualibus, ſororibus, consanguineis; benefactoribus, àmicis, inimicis, et quicunque mihi ſeſe commendarunt.

Te quoque, Domine Jesu Chriſte, obteſtor per viscera misericordiae, in quibus visitaſti nos Oriens ex alto; illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis ſedent, illuminare, et in tuò ſancto ſervitio confortare, et conservare digneris, ut sine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, omnes ſerviamus tibi, in ſanctitate,

et

et juſtitia coram te, omnibus diebus vitae noſtrae.

Saluto te etiam, gloriosissima Regina mundi, et cœli, Maria, Domina mea clementissima, et Patrona ſingularissima: Vosque purissimi beatorum ſpirituum Ordines; maxime vos fidelissimi Patroni, et Tutelares mei Sancti NN. Omnes Sancti, et Sanctae Dei. Ad vos ſupplex confugio, veſtris me ſtipate meritis, et virtutibus, mei quoque intercessores apud Divinam clementiam eſtote, ut copia diversorum, mihi alioquin indigno, praeſtetur meritorum. Ut enim veſtrae gloriae congratulor, ita veſtras, pro me, meisque apud Deum humiliter preces imploro, in memoriam, et ſatisfactionem Domini mei Jesu Chriſti, cui laus, et honor in ſaecula ſaeculorum, Amen.

O Domina mea, ſancta Maria! me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie, et quotidie,

tidie, et in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam, et consolationem meam, omnes anguſtias, et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam ſanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur, et disponantur opera, ſecundum tuam, tuique Filii voluntatem, Amen.

O Maria! Dei Genitrix, et Virgo gloriosa, omnium desolatorum ad te clamantium, Consolatrix vera! per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognoviſti Dominum Jesum die tertia a mortuis impassibilem resurrexisse; ſis Consolatrix animae meae, et apud eundem tuum, et Dei Natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima, et corpore resurrecturus, ac de ſingulis meis factis rationem redditurus ſum, me digneris juvare; ut perpetuae damnationis ſententiam per te, pia

Ma-

Mater, et Virgo, valeam evadere, et cum electis Dei omnibus ad aeterna gaudia feliciter pervenire, Amen.

Tu quoque ſalve Angele Dei, Princeps nobilissime, mi cuſtos, et Paedagoge amantissime, ſalve. Gaudeo, quod tantam tibi dederit Deus excellentiam, et ſua gratia ſanctificaverit, in qua perseverans gloriam, et beatitudinem aeternam obtinuiſti; gratias ago Omnipotenti Deo propter beneficia in te collata, tibi vero propter ea, quae confers: et propter amorem, et voluntatem, qua me cuſtodis. Ego tibi commendo hodie corpus meum, et animam meam, memoriam, intellectum, voluntatem meam, appetitiones meas, et ſensus omnes; ut me cuſtodias, dirigas, protegas, foveas, visites, gubernes, defendas, ac ſimul purifices, illumines, et perficias; ita ut omnibus bonis per te plenus, perseverem ſemper in gratia, donec ſimul

tecum Deum videam, et eo fruar in gloria. Duc ergo, quaeso, me cœcum, ignorantem instrue, imbecillem conforta, reduc errantem, pigrum impelle, dormientem excita, gradientem promove, et extremam illam luctam, quae cum daemonibus, et morte futura est, mihi felicem esse procura: ut post hanc mortalem vitam, in tuum, Deique consortium laetus migrare possim. Amen.

Benedicat me imperialis Majestas: protegat me regalis Divinitas: custodiat me sempiterna Deitas; defendat me immensa Trinitas: foveat me gloriosa Unitas! dirigat me ineffabilis bonitas: regat me potentia Patris, vivificet me potentia Filii, illuminet me virtus Spiritus Sancti, nunc, et in aeternum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

O Jesu! qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum,

dum, da nobis intellectum, ut ſciamus teſtimonia tua.

Domine Deus! dives in omnes, qui invocant te, largire nobis gratias, quas tu ſcis nobis eſſe necessarias, ad majorem tui gloriam, ſalutem animarum noſtrarum, et profectum omnium fidelium; da, quæsumus, ut anima cujusvis noſtrum morte moriatur juſtorum, ut misericordias tuas una cum illis in aeternum cantemus.

Deus! Scientiarum Domine! à quo omnis ſcientia provenit, da nobis ſedium tuarum asiſtricem ſapientiam, ut nobiscum laboret, et ab erroris periculo nos tueatur, omnemque ſcientiam noſtram aedificet charitas tua.

Commemoratio Sanctorum.

Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra, omniumque ſalute.

℣. Laetamini in Domino et exultate justi:
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Omnes Sancti tui, quaesumus, Domine! nos ubique adjuvent, ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Da pacem, Domine! diebus nostris; quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Oremus pro Ecclesia sancta Dei: Domine Deus! respice de cœlo super vineam hanc, quam plantavit dextera tua.

Oremus pro Pontifice nostro N. Dominus conservet eum & vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in manus inimicorum ejus.

Oremus pro Antistite nostro N. Fac, Domine! ut vigilet pro animabus nostris, quasi rationem redditurus pro eis.

Ore-

Oremus pro toto Clero: Adjuva eos, Domine! ut in omnibus ſe exhibeant, ſicut miniſtros Dei, in charitate, et verbo veritatis.

Pro Rege noſtro Apoſtolico N. Dá, Domine! ſervo tuo cor docile, ut discernat inter bonum, et malum, et judicet populum tuum in juſtitia et veritate.

Pro omnibus Superioribus noſtris: Largire eis, Domine! potentiam, populum tuum in juſtitia regendi.

Pro Parentibus noſtris; Dominus conservet eos, et beatos faciat eos in terra.

Pro omnibus juventutis Chriſtianae Educatoribus: mitte illis, Domine! ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, ut ſemper cum illis ſit, et cum illis laboret.

Oremus pro Benefactoribus noſtris: retribuere dignare, Domine! omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.

Ore-

Oremus pro toto populo Christiano: salvum fac populum tuum, Domine! et benedic haereditati tuae.

Oremus pro fidelibus defunctis: Requiem aeternam dona eis, Domine! et lux perpetua luceat eis.

Diurnae preces ordinariae.

Duo monita salutaria.

I.

Ores semper:

1. Puro Corde, quia in conspectu aeterni Judicis stas.

2. Summa cum attentione. Sic enim et Deum laudabis, et gratiam tibi, ac aliis exorabis.

3. Verba nec praetermittendo, nec abbreviando, sed omnia integre, et paulatim pronunciando.

II.

II.

Tria quotidie serio recogita:

1. Quam multa in praeterita vita mala comiseris, bona vero omiſeris: et quam inutiliter tempus impenderis.

2. Quam brevis ſit praesens vita: et ejus tempus utiliter ſit impendendum.

3. Quod in futura vita expectet te: mors, judicium, et vel infernus, vel cœlum.

Ante Studia.

Oratio Sancti Thomae.

Creator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiae tuae tres Angelorum Hierarchias annotaſti, et eas ſuper coelum empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſime partes universi diſtribuiſti: Tu inquam: qui verus fons luminis et ſapientiae diceris, atque ſupereminens

nens principium, infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuae radium claritatis; duplices, in quibus natus ſum, a me removens tenebras, peccatum ſcilicet, et ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque meis labiis gratiam tuae benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiscendi facilitatem; loquendi gratiam copioſam; ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum, Dominum noſtrum. Amen.

Da mihi Domine! ſedium tuarum assiſtricem ſapientiam, quae mecum ſit, et mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te omni tempore.

Da Domine ſervo tuo cor docile, et in disciplinis tuis inſtrue me, ut cuſtodiam judicia juſtitiae tuae.

Ad te Domine inclino animam meam, ignorantias meas illumina, et abscondita tenebrarum detege.

Deus meus, illumina tenebras meas, et caliginem oculorum meorum luce tuae claritatis illuſtra.

Sint o Domine! omnes literarum apices, mei in te amoris ſingraphae, his adde manum tuam, et ſubscribe, ut ego totus tuus ſim, et tu totus meus.

Poſt Studia.

Actiones noſtras, quaesumus Domine aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta noſtra oratio, et operatio a te ſemper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ante Praelectiones:

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis

bis in eodem ſpiritu recta ſapere, et de ejus consolatione ſemper gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Finitis Praelectionibus.

Actiones noſtras, quaesumus, Domine aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta noſtra oratio, et operatio a te ſemper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad pulsum Salutationis angelicae.

Angelus Domini nunciavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto. *Ave Maria.*

Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. *Ave Maria.*

Et *Verbum caro* factum eſt, et habitavit in nobis. *Ave Maria.*

℣. Ora

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Chriſti.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus noſtris infunde; ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus, et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Benedictio Mensae.

Benedicite. Kyrie eleison. Chriſte eleison. Kyrie eleison. *Pater noſter.*

Oremus.

Benedic, Domine! nos et haec tua dona, quae de tua largitate ſu-

ſumus ſumpturi per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Gratiarum actio.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus! pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Pater noſter.

Sit nomen Domini benedictum.

Ex hoc nunc et usque in ſaeculum.

Oremus.

Retribuere dignare, Domine! omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Benedicamus Domino. Deo gratias.

Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Ante quemcunque laborem:

Actiones noſtras, quaesumus, Domine! aspirando praeveni, et

et adjuvando prosequere, ut cuncta noſtra oratio et operatio a te ſemper incipiat et per te cœpta finiatur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſt laborem peractum:

Non nobis, Domine! non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, o Domine, offero tibi laborem meum, auxilio gratiae tuae a me peractum; quia ſine te nihil poteſt mortalis fragilitas: fac ut ille tuam ad laudem et gloriam, animaeque meae ſalutem cedat per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Preces Vespertinae.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti. Amen.

Benignissime, et liberalissime Deus, quem hic mihi praeſentem, viva ſide credo, adoro, laudo,

et

et glorifico; ago tibi infinitas gratias pro universis beneficiis tuis (*hic mente breviter praeſtita a Deo beneficia recole*) nominatim pro cuſtodia hujus diei, ad cujus finem me pervenire clementer indulsiſti. In hujus meae gratitudinis teſtimonium exosculor amabilissimum Jesu Chriſti, Filii tui, quem mei amore crucifigi voluiſti, dexterae manus vulnus. Et quia ego miſer, et egenus pro innumeris beneficiis tuis debitas gratias referre non valeo, offero tibi in gratiarum actionem hoc ipsum pretiosissimum Jesu mei vulnus, una cum reliquis ejusdem infinitis, et copiosissimis B. V. Mariae, aliorumque Sanctorum, et Juſtorum meritis, et me totum in obsequium tuum.

Pariter exosculor gratiosissimum ejusdem ſiniſtrae manus vulnus: et per has amantissimas Crucifixi Salvatoris mei his vulneribus ſignatas manus novum iſtud a te peto beneficium, ut me hac nocte ab omni-

omnibus tum animae, tum corporis periculis tuearis, et praevie illuminare digneris; ut peccata, et defectus, praesertim, quae ab ultimo examine commisi, agnoscere, et ad securam quietem capiendam perfectae contritionis actu expiare, ac me in futurum emendare valeam.

Quare recogitabo paulisper in amaritudine animae meae, quibus peccatis, defectibus, et negligentiis a Divinae voluntatis tuae placitis, praeprimis hodie, deflexerim, ut illa in tuo, mi Jesu, misericordissimo lateris vulnere (quod pariter venerabunde exosculor) per sincerum doloris actum sepelire, tuoque pretioso pro me fuso sanguine animam meam abluere possim.

Hic examen conscientiae institue juxta puncta ad Secramentum Pœnitentiae inferius posita.

Actus Contritionis.

Credo in Te Deum meum: aeterna veritas! ſpero in Te: infinita misericordia! amo te, ſummum, et infinitum Bonum. Ex hoc ardentissimo Tui amore ah cordicitus doleo de omnibus peccatis meis mortalibus, et venialibus, omissionis, et comissionis, propriis, et alienis, quibus te unquam offendi: et ideo maxime ex toto corde doleo, quod Te Deum meum, ſummum, et omni amore dignissimum Bonum peccatis meis toties hactenus offenderim. Statuo, et promitto firmissime vitam meam auxilio gratiae tuae, quam ſupplex exoro, deinceps emendare, et amplius non peccare: malo mori, quam Te, o amantissime Deus! poſt hac unquam ullo peccato praesertim mortali offendere. Promitto etiam omnia mea peccata rite confiteri, pœnitentiam adimplere, et omnia, ad quae obligor, rite exequi.

qui. Miserere mei Domine: et confirma hanc bonam voluntatem meam. Amen.

Sub tuum praesidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne despicias in necesſitatibus noſtris, ſed a periculis cunctis libera nos ſemper Virgo gloriosa, et benedicta, Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Chriſti.

Oremus.

Gratiam tuam quaesumus, Domine, mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perdu-

ducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis Beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus! per omnia saecula saeculorum. Amen.

Salva nos Domine! vigilantes, custodi nos dormientes: ut vigilemus cum Christo, et quiescamus in pace. Amen.

Dignare, Domine! nocte ista sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine! miserere nostri.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

Ore-

Oremus.

Visita quaesumus Domine! habitationem iſtam et omnes insidias inimici ab ea longe repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, et benedictio tua ſit ſuper nos ſemper per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratio ad S. Angelum Cuſtodem.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi comissum pietate ſuperna hac nocte, et in hora mortis meae illumina, cuſtodi, rege et guberna.

Benedicat et cuſtodiat nos omnipotens et misericors Dominus Pater et Filius et Spiritus ſancus. Amen.

Auditio Sacrificii Missae.

Oratio in ipso templi ingressu.

O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, quam domus Dei et porta cœli — Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini — Sedenti super thronum, et agno immaculato cum spiritu sancto sit benedictio, laus et honor, et virtus in saecula saeculorum.

Oblatio Missae.

Omnipotens aeterne Deus! prostratus coram altari tuo te adoro, et sanctissimum hoc Missae Sacrificium tibi offero, in unione duorum sacrificiorum, quae Christus filius tuus tibi obtulit: unum in extrema cœna, panem in pretiosum corpus suum consecrans —

al-

alterum seipsum aeterno Patri pro salute humani generis in ara crucis immolans — dignare sacrificium istud acceptare tuam ad laudem et gloriam, animaeque meae salutem, pro N. N. (*hic intentio proponitur*) Largire mihi etiam gratiam tuam, ut sancto huic sacrificio cum attentione, reverentia, et sacro quodam horrore pro dignitate tanti mysterii interesse valeam, ut per merita incruenti hujus sacrificii, quod hic in altari pro me, caeterisque vivis et defunctis offertur, memetipsum offeram, et tibi soli vivam, qui cum illo et Spiritu sancto vivis in saecula saeculorum. Amen.

Ad Introitum.

Deus meus! confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt super caput meum, et delicta creverunt usque ad coelum: peccavi Domine! coram te,

et

et in oculis tuis male egi. Agnosco id et confiteor coram coelo et terra: ſed tu, Domine! plenus misericordia parcis peccatis eorum, qui te ex toto corde quaerunt; miserere igitur mei, et exaudi me in calamitate mea ad te clamantem, et totam fiduciam meam in te collocantem — Moveare precibus Ecclesiae tuae pro me et omnibus peccatoribus gratias tuas deprecantis, converte faciem tuam ad me, et fac me vivere. —

Domine Deus! emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ut ipsa me deducant et adducant in tua ſancta tabernacula, dele iniquitates meas, ut mundo corde in tua ſancta introire valeam.

Ad Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter ma-

magnam g'oriam tuam. Domine Deus Rex coeleſtis. Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Chriſte, Domine Deus. Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuscipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus. Tu ſolus Dominus. Tu ſolus Altissimus Jesu Chriſte, cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad Epiſtolam.

Omnipotens aeterne Deus! da nobis fidei, ſpei et charitatis augmentum, et ut mereamur adsequi, quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Chriſtum Dominum. Amen.

Lex tua Domine! pretiosior eſt auro et argento, fac me eam die ac nocte magis amare, ac indesinenter meditari.

Ad

Ad Evangelium.

Munda cor ac fensns meos Domine! per ignem charitatis tuae, ut fanctum Evangelium tuum non modo intelligere, fed promptus eidem etiam insiftere valeam. Amen.

Evangelica lectio fit nobis falus et protectio.

Ad Credo.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Chriftum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia faecula. Deum de Deo. Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubftantialem Patri, per quem omnia facta funt. Qui propter nos homines, et propter noftram falutem descendit de coelis. Et incarnatus eft de Spiritu fancto

ex

ex Maria Virgine, et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, passus, et ſepultus eſt. Et resurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et ascendit in coelum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam, Catholicam, et Apoſtolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſaeculi. Amen.

Ad Offertorium.

Pater coeleſtis! ſuscipe hanc oblationem panis, vini et aquae, quae in corpus et ſangvinem filii tui Jesu Chriſti convertenda esse viva fi-

de credo. Eam tibi offero per manus ſacerdotis tui, pro me peccatore et innumerabilibus peccatis meis, quibus in verbis, operibus aut cogitationibus contra te peccavi, rogans, ut praeterita dimittas, et a futuris me cuſtodias.

Suscipe ſancta Trinitas! ſacrificium hoc, quod tibi ad gloriam nominis tui offerimus pro ſalute noſtra, et pro universa Ecclesia, in memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascenſionis Domini noſtri Jesu Chriſti. Offerimus etiam illud in gratiarum actionem, pro omnibus illis beneficiis, quae Beatae Mariae Virgini et omnibus ſanctis praeſtitiſti, et pro gloria, qua merita eorum coronaſti, ut quorum memoriam in terris recolimus, eorum apud te in cœlis intercessione perfruamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad Sanctus.

Eleva, Domine! corda noſtra ad te, ut terrena despicere, et ſola cœ-

lestia desiderare, te solum adorare, laudare et benedicere valeamus per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sanctus! Sanctus! Sanctus Dominus Deus Sabaoth! pleni sunt cœli et terra gloria tua — Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Pater misericordiarum! prostrati coram Majestate tua precamur te per merita Christi filii tui, digneris dona haec a nobis oblata benedicere, et acceptare pro universa Ecclesia, pro Pontifice, Episcopis, et animarum curatoribus — Pro Rege nostro Apostolico — et omnibus Superioribus nostris — Pro Parentibus, Cognatis, Benefactoribus, amicis et inimicis nostris.

Ad Consecrationem Hostiae.

O Redemptor mi! benedico te pro amabili memoriâ, quam nobis in venerabili Sacramentò reliquisti: et obsecro te per conversionem panis et vini in corpus et san-

gvinem tuum, ut me convertas in te, actionesque meas dirigas ad bonum finem.

A elevationem Hostiae.

Ave verum corpus! natum
De Maria Virgine:
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine:
Cujus latus perforatum,
Unda fluxit et sangvine:
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.

O clemens! o pie! o dulcis Jesu, fili Mariae! miserere mei: et da, ut sicut te nunc videre merui in forma panis, ita, quum ad judicandum veneris, securus et gaudens aspicere possim in gloria tuae Majestatis.

Sub elevatione calicis.

Ave, sanctissime sangvis! de latere Domini Jesu Christi profluens, et totius veteris et novae culpae ma-

maculas diluens: lava me ab omnibus peccatis meis, et fac me ita mundum, ut dignus efficiar vita aeterna.

Respice, Pater benignissime, ad filium tuum unigenitum, qui se pro nobis hic in ara offert, et qui secum et nos offerre dignatur, respice et nos oculo misericordiae tuae, et fac, ut oblatio et preces nostrae tibi acceptae reddantur, uti oblatio justi Abel, Patriarchae Abraham et summi sacerdotis Melchisedech. Jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu Divinae Majestatis tuae, ut ex sumptione corporis et sangvinis Salvatoris nostri omni benedictione et gratia coelesti repleamur.

Ad Memento.

Imploramus etiam misericordiam tuam, Domine! pro omnibus fratribus nostris in Domino dormientibus, praecipue pro NN. indulge

iis,

iis, Domine! per infinitum pretium adorandae hujus Hoſtiae locum refrigerii et pacis — Nobis autem peccatoribus, de multitudine miserationum tuarum ſperantibus partem et ſocietatem cum omnibus ſanctis tuis donare digneris, non quidem aeſtimator meritorum noſtrorum, ſed Jesu Chriſti Salvatoris noſtri, per quem omnia ſperamus obtinere, quae tu nobis praeſtare decernis; per eum enim unice, et cum eo, et in eo laudamus te in ſaecula. Amen.

Ora Pater noſter, dein dic:

Libera nos, quaesumus Domine! per intercessionem Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum ab omnibus praeteritis, praesentibus et futuris malis. — Libera nos per misericordiam tuam ab omnibus peccatis et perturbationibus, et largire nobis tam internam quam externam pacem et tranquillitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei! qui tollis peccata mundi, miserere nobis et dona nobis pacem. Domine Jesu Chriſte! qui nobis per mortem tuam et effusionem pretiosissimi ſangvinis tui in cruce gratiam, misericordiam et pacem procuraſti, ne respicias peccata noſtra, ſed fidem et preces Ecclesiae tuae. Da nobis virtute Sacramenti hujus eam, quam mundus dare non poteſt, pacem. Libera nos ab omnibus iniquitatibus et universis malis, et fac nos ſemper tuis inhaerere mandatis, et a te nunquam ſeparari permittas.

Ad Communionem.

Domine! fac me ſemper panem hunc cœleſtem digne ſumere et nomen Domini invocare.

Domine! non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo et ſanabitur anima

mea

mea — Dominus meus, et Deus meus, qui es verus panis, ideo de cœlo descendens, ut ii, qui te digne manducant, non moriantur, ſed habeant vitam aeternam, ſis cibus animae meae, et fac me virtute carnis tuae in te, et te in me manere, ut taedium rerum terrenarum accipiam, et tibi ſoli vivam, ſicut et tu tuo aeterno Patri in hoc mundo vixiſti — Pota me ſangvine tuo, qui in cruce pretium meae redemptionis erat, ut in me extingvat cupiditatem rerum terrenarum, et inflammet deſiderium in corde meo tecum in aeternum vivendi et te ſine fine laudandi.

Poſt Communionem.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae tribuit mihi? ſacrificabo illi hoſtiam laudis et nomen Domini invocabo — laudans invocabo Dominum, quia replevit me miſericordia ſua — Nunc dimitte ſervum tuum, Domine! ſecundum

ver-

verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel — Deus, qui nos in hac mortali vita pretioso corpore et ſangvine Filii tui unigeniti ſatias, da nobis gratiam tuam, ut virtute hujus Sacramenti digni efficiamur intioire in vitam aeternam, ubi nos aspectus tuae Divinae Majeſtatis ſatiabit in aeternum. Id te precamur per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ite Missa eſt.

Sanctissima Trinitas! largire nobis gratiam, ut fructum ſacrificii hujus, quod tuae Majeſtati modo obtulimus, accipere ſemperque conservare valeamus per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedicat nos omnipotens Deus Pater, et Filius, et Spiritus ſanctus. Amen.

Ora-

Oratio S. Augustini post Missam.

Dispone jam, benignissime Pater! quo mei miserearis, quoniam quidquid pretiosius inveni, devote tibi obtuli, quidquid charius reperi, suppliciter praesentavi — misisti gloriosum Filium tuum, inter me et te Mediatorem: quare, si me pro mea, uti dignum, despicis iniquitate, respice me saltem misericorditer pro dilecti Filii tui charitate — omnis namque spes et fiduciae certitudo mihi est in pretioso sangvine ejus, qui effusus est propter nos, et propter salutem nostram: in ipso respiro, et in ipso confisus ad te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam, quae est ex Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo. Ecce, o Pater! hic est innocens ille, qui pro me Caro factus est, hic, quem propter peccata mea percussisti, licet ipse sit dilectus Filius tuus, in quo tibi bene complacuisti. — Hic

aspi-

aspice factorem meum, et ne despicias facturam tuam. — Aspice, piissime Pater! piissimum Filium, pro peccatis meis tam impia passum — vide carnis sacramentum et remitte carnis reatum. — Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi — Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum. Amen.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Sacramentum Pœnitentiae.

Praeparatio ad Confessionem.

Surgam et ibo ad Patrem meum, et dicam: peccavi in coelum, et coram te, non ſum dignus vocari filius tuus — Fac me ſicut unum de pœnitentibus tuis et mitte mihi hodie unicam ſolummodo micam de mensa infinitae tuae misericordiae, ut peccata mea cognoscere, deflere, dignamque de illis poenitentiam agere possim.

Gratiarum actio.

Sed quid retribuam, o clementissime Deus! pro omnibus, quae tribuiſti mihi? ab aeterno me dilexiſti — et ut ſpero, ad aeternam gloriam me praedeſtinaſti — creaſti me, quum non eſſem, et poſtquam perieram, Filius tuus pro me homo factus ſangvine proprio

me

me redemit. — Praeter Angeli boni custodiam etiam tales mihi providisti, qui me in honesta, ac liberali disciplina, vera tui cognitione, ac timore, sanctaque fide catholica imbuerent — quid, inquam, retribuam tibi pro his et innumeris aliis in praesens usque collatis beneficiis? usque modo quidem nil fere nisi ingratum animum, tuis non obtemperando sanctis praeceptis, exhibui: at jam ad te Patrem meum prodigus ego filius revertor — agnosco tuam infinitam bonítatem ac veneror — proque illa tibi, ex intimo corde, quas possum, grates refero — ut autem plenius id perficiam, in gratiarum actionem offero infinita merita Filii tui, illa ego unita meritis Beatae Virginis Mariae, omniumque sanctorum Divinae Majestati tuae offero, unice optans, et rogans, ut me nunquam amplius ingratum exhibeam.

Pe-

Petitio Luminis.

Per eandem ergo charitatem tuam, misericordissime Pater! dignare caeteris beneficiis tuis etiam hoc addere, ut mentis meae tenebras gratia tuae visitationis illumines, affectum voluntatis inflammes, ut, quidquid cogitatione et affectu — verbis prolatis et auditis — operibus — aut omissionibus — contra te — proximum — Parentes — Superiores — aequales — minores — memetipsum peccavi, ſincere, ac integre cognoscere, dignamque de peccatis meis pœnitentiam peragere possim — o ſcrutator cordium, et renum, Deus! te nil latet, tu conſideraſti omnes ſemitas meas, et gressus meos dinumeraſti, indica mihi, quid pro infinitis bonis tuis tibi reddiderim?

Hic examina conscientiam, quid cogitatione, desiderio, opere; vel omissione, et quidem ſecundum 10. *praecepta Dei peccaveris: atque*

1. *Con-*

1. *Contra Deum: quae fuerint malae contra fidem cogitationes, quae verba maledica, blasphema, quoties nomen Dei invanum ſumpseris: diem otio extraxeris: sacrum omiseris?*

2. *Contra proximum: an debitam parentibus et ſuperioribus reverentiam, obedientiam, honorem, et amorem violaveris? an, quoad alios, verba mendacia detractoria, contentiosa, irrisoria, iracunda, odiosa, ſcandalosa, imprecativa protuleris? cogitationes invidiosas, vindicativas, ſuspiciosas ſoveris? an opus misericordiae sive ſpiritualis, sive corporalis neglexeris?*

3. *Contra teipsum: an malas lascivas cogitationes illico ejeceris? a verbis otiosis, ſuperbis, vanis abſtinueris? concupiscentias refraenaveris?*

4. *Satisfeciſti ne proprii Status officiis? quae contra ſtatuta, officium, votum comisiſti? an consvetas preces intermiseris; qualiter Missas exaudiſti, exhortationes excepiſti, examen conscientiae quotidie inſtituiſti, ſtudia, praelectiones, officii tui labores, libri ſpiritualis lectionem absolveris?*

Poſt.

Post examen Dolor de Peccatis et Propositum emendationis.

Delicta mea, Deus! pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare — o Pater misericordiarum! quid retribui tibi pro dilectione tua? nil nisi peccata, negligentias, ingratum animum: utinam nunquam te offendissem, nec offenderem posthac in aeternum! — tibi soli peccavi, et malum coram te feci — ah doleo! quantum possum, ex toto corde doleo de omnibus peccatis meis, vel maxime, quod te omni amore et honore dignissimum offenderim — abominor et detestor omnia peccata mea; annihilo et retracto, quidquid mali feci — o Deus meus, et Dominus meus! ne permitte me damnari, quem de nihilo creasti — Recognosce, quod tuum est in me, et absterge, quod alienum est a te — ne perdat me iniquitas mea, quem

fecit

ſecit omnipotens bonitas tua — Jam te, Deus! amo ſuper omnia.

Et ex hoc ardentissimo tui amore, o Deus! firmissime ſtatuo, auxilio gratiae tuae, ſine qua nil poteſt mortalis fragilitas, ſerio vitam meam emendare, omnes peccandi occasiones vitare, rite confiteri, poenitentiam implere, omne, ad quod obligor, facere: imo ut plenius ſatisfaciam, condono omnibus omnes offensas mihi factas, ita, uti meas a te mihi condonari peto: et ſicut nunc tibi ſupplico, ita de tua Divina bonitate, qua me complecteris, confido, te mihi per pretiosi ſangvinis et passionis tuae merita veniam cum gratia daturum, ut emendatus in finem usque perseverem. — Respice, Domine Jesu Chriſte! me oculis misericordiae, quibus respexiſti Petrum in atrio — Magdalenam in convivio — et latronem in crucis patibulo — praeſta, ut cum Petro peccata mea digne defleam — cum Mariâ Magda-

dalenà perfecto amore te diligam — et cum latrone in ſaecula ſaeculorum te in Paradiso videam. Amen.

Oratio jamjam confessuri.

Scrutator cordium, Deus! miserere nunc peccatricis animae meae, tu clementer et vincula pravitatis ſolve, et vulnera cordis ſana — da cordi meo contritionem, et lacrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate, ſincere et integre omnes iniquitates meas aperiam, fructuque ſacratissimae passionis Chriſti reviviscat anima mea in vitam aeternam. Amen.

Methodus confitendi.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Confiteor Deo omnipotenti — Beatae Mariae ſemper Virgini — omnibus ſanctis, et ipsi Pater, quia peccavi nimis cogitatione — verbo — et opere — praecipue ab ultima

ma confessione mea ante N. (*v. g. tres vel 4. ſeptimanas*) peracta me accuso, quod &c. (*ſequitur enarratio delictorum, concludes autem ſic:*

De his, et omnibus peccatis meis mortalibus, et venialibus, comissionis, et omissionis, propriis, et alienis ex toto corde doleo ideo vel maxime, quod Te Deum meum, ſummum, et omni amore dignissimum Bonum iisdem offenderim. Promitto firmissime vitam meam auxilio gratiae tuae, quam ſupplex exoro, deinceps emendare, et amplius non peccare. Peto ſalutarem poenitentiam, et absolutionem.

Obtenta Pœnitentia ſecreto dic:

Deus! propitius eſto mihi peccatori! — mea culpa! (*tundendo ter pectus*) mea culpa! mea maxima culpa! ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem — Beatum Michaelem Archangelum —

Bea-

Beatum Joannem Baptiſtam — ſanctos Apoſtolos Petrum et Paulum, omnes ſanctos, et te, Pater! orate pro me Dominum Deum noſtrum. Amen.

Obtenta Absolutione.

Sit tibi, Domine! obsecro meritis Beatae ſemper Virginis, Genitricis tuae, Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta iſta confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de ſufficientia contritionis, de puritate, et integritate confessionis, ſuppleat pietas et misericordia tua, et ſecundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelis. Qui vivis in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Pro remissione peccatorum.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus — ut quid terram occupo, ego aridum lignum, qui peccata peccatis accumulo, thezaurizo mihi iram in die

die irae, et raro recogito delicta mea, ut pro iis Divinae justitiae satisfaciam. Heu! quam multa habeo, quae defleam! tenebrae cordis mei — lubrica conscientia — lapsus in vitia, gratiae jactura, et tot laquei peccandi flere me jubent damna temporis praeteriti et pericula futuri, et plangere me jubent mala animae meae, quae multiplicata sunt super numerum: erigo tamen mentem, et de profundis clamo ad te, Domine Deus meus! vide Domine! afflictionem meam, erue me de circumdantibus me — Domine! ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus; quia omnia nuda et aperta sunt oculis tuis. Sed delicta quis nostrum intelligit? ab occultis meis munda me, Domine! et ab alienis parce servo tuo. Multiplicatae sunt iniquitates meae super capillos capitis mei, sed tu bonus fac benigne — non intres in judicium cum servo tuo, quia non

ju-

justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, memento, Domine! quod ficut lutum feceris me, et in pulverem reduces me: ideo nunc cito anticipent me misericerdiae tuae, ut in pretiosissimo fangvine Christi Domini ablutus, purus coram Divina justitia tua inveniar. Amen.

Hic pœnitentiam injunctam, si fieri potest, absolvas.

Sacramentum Eucharistiae.

Domine! labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus! in adjutorium meum intende: Domine! ad adjuvandum me festina: Gloria Patri et Filio et Spiritui fancto: ficut erat in principio, et nunc et femper et in saecula faeculorum. Amen.

O

O quam ſvavis eſt Domine! Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſvavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis, faſtidiosos divites dimittens inanes. Panem coeli dedit nobis Dominus: Panem Angelorum manducat homo.

℣. Domine! exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus! qui nobis ſub ſacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquiſti: tribue quaesumus, ita nos corporis et ſangvinis tui ſacra myſteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter ſentiamus.

Affectus.

O anima mea! ecce Magiſter adeſt, et vocat te: feſtinans descende: quia hodie in domo tua oportet illum manere. Haec eſt dies,

quam

quam fecit dominus, exulta et laetare in ea. Ecce ſponsus tuus venit tibi, exi obviam ei: veni, et propera: quia mirabitur et dilatabitur cor tuum. Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, holocauſta medullata offeras illi, ut domum tuam ſcopis mundatam inveniens benedictionibus dulcedinis repleat. O ſi ſcires donum Dei, et quis ſit, qui venit ad te, quanto celerius properares! quanto ferventius praeparares cor tuum ad adventum illius! accede! illuminare!

Fidei.

O Jesu! tu ipsa veritas dixiſti, *Hoc eſt corpus meum:* credo, Domine! vere tu es Deus absconditus, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. Adauge, Domine! fidem meam, ut te cognoscens Jesum Chriſtum, praeparem cor meum, et cum dignus nequeam, ſaltem, qua potero, congrua reverentia et humili-

tate te recipiam: itaque praeſtet fides ſupplementum ſensuum defectui.

Adorationis.

Rex Regum, et Dominus dominantium! Dominus meus et Deus meus! tu ſolus altissimus et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Tibi Regi ſaeculorum immortali, ſoli Deo honor et gloria. Adoro te, ut principium et finem universorum; omnis terra adoret te, et psallat nomini tuo.

O dulcissime Jesu! unde hoc mihi, ut tu Dominus meus venias ad me! ſi coeli coelorum te capere non possunt, quanto minus capiet te inanitas mea? vah! quam bonus Israël Deus!

Charitatis.

O infinita Bonitas! qui te vident in coelis, diligunt: qui diligunt, beati ſunt: qui te recte agnoscunt in terris, amant: qui amant, feli-

 ces

ces ſunt: da, ut amor meus etiam in tuam infinite amabilem bonitatem exardescat. Amor tuus bone Jesu! Divinitatem tuam mea humanitate, tuam immortalitatem mea circumdedit mortalitate: amor tuus ſervum te fecit, ut me libertate donaret, in cibum te praebuit, ut ego reficerer et ſaturarer. Tantus amor tuus, non meum vicissim merebitur amorem? ah! amo te, optime Jesu! ex corde toto amo te, et ut amplius amare te possim, ad te venio, o dilecte mi! cape animae meae possessionem, eamque thesauro meritorum tuorum, ut dignum tibi praeparetur habitaculum, exorna. Dignare Domine! meam purificare foeditatem, eamque ad dilectionem inflammare, quatenus ea munditia et devotione ſacramentum Dominicum ſuscipiam, ut tibi cedat in honorem, et mihi ad salutem.

Ora-

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnipotens fempiterne Deus! ecce accedo ad facramentum unigeniti Filii tui; Domini noftri, Jesu Chrifti: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensæ largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, veftire nuditatem: ut te panem Angelorum, Regem Regum, et Dominum dominantium tanta fuscipiam reverentia, et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali propofito et intentione, ficut expedit faluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici corporis et fangvinis non folum fuscipere facramentum fed etiam virtutem facramenti, o

mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui, quod traxit de Virgine Maria ſic ſuscipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari.

Aspirationes ad Jesum.

Veni esca timentium Dominum, ſalutarem in me timorem nutri: quo te reverear ut patrem: timeam ut judicem.

Veni vita pauperum, et panis egentium, dita me virtutum meritis, et refice gratiae donis.

Veni Verbum *Caro* factum, habita in me; et ut digne habites, per gratiam tuam munda me.

Veni panis filiorum Dei, ſatia me, ut ſim filius tuus, et da, ut ſemper te esuriam.

Veni

Veni magnae ſalutis meae pretium! ſpero, non patieris, ut illud ſit fruſtra erogatum, quod tantis tibi amoris et doloris ſtetit impensis.

Veni viaticum in Domino morientium: concede, ut de te ſemper vivam, ſine te non moriar — ſit, ſi jubes hanc meam esse communionem ultimam, illa ad felicem aeternitatem viaticum.

Jamjam communicaturus.

Confiteor Deo omnipotenti — Beatae Mariae ſemper Virgini — beato Michaëli Archangelo — beato Joanni Baptiſtae — ſanctis Apoſtolis Petro et Paulo — et omnibus Sanctis — quia peccavi nimis cogitatione — verbo — et opere — Mea culpa — (*ter percute pectus*) mea culpa — mea maxima culpa! ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem — beatum Michaëlem Archangelum — beatum Joannem Baptiſtam — ſanctos Apoſtolos

los Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, ut orent pro me Dominum Deum noſtrum. Amen.

Misereatur mei omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis meis perducat me in vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum meorum tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus.

Viso Domino toto corde dicito.

Domine! — non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum ſed tantum dic verbo et ſanabitur anima mea.

(Dein viva fide munitus, reverentia, qua potes, maxima, Sanctum Sanctorum ſuscipe et dic:)

Anima Chriſti ſanctifica me:
Corpus Chriſti ſalva me:
Sangvis Chriſti inebria me:
Aqua lateris Chriſti lava me:
Passio Chriſti conforta me:
O bone Jesu! exaudi me

Intra

Intra vulnera tua absconde me:
Ne permittas me ſeparari a te:
Ab hoſte maligno defende me:
In hora mortis meae voca me:
Et jube me venire ad te:
Ut cum ſanctis et electis tuis laudem te:
In ſaecula ſaeculorum. Amen.

Preces poſt Communionem.

Inveni, quem diligit anima mea — tenui eum, nec dimittam, ut fiducialiter dicere queam: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Nunc o Jesu! requies mea! nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei, imo apprehendit cor meum te ſalutare meum — clementissime Deus! quanto honore me dignatus es, ut te mihi in cibum dares! o admirabile vinculum! ſalve ſis potentissime hospes animae meae! diu

diu desiderate, anxie quaesite, sollicite adamate! adoro te cum Patre et Spiritu sancto apud me indignissimum commorantem — Benedic, anima mea! Domino: et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Jam habeo te, qui habes omnia, jam te possideo, qui potes et possides omnia — Praebe te mihi, o Jesu! fontem bonorum omnium: reforma vires animae meae: da ut clara cognitione, stabili cogitatione, et ardentissimo amore tibi aeternum adhaeream: In te uno fixum sit cor meum — sentiat praesentiae tuae dulcedinem mens mea, ut inescata amore tui extra te velit nihil, in quo gaudeat: et propter te optima quaeque eligat.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus! qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed

ſed ſola dignatione miſericordiae tuae ſatiare dignatus es pretioso corpore et ſangvine Filii tui, Domini noſtri Jesu Chriſti. Te precor, ut haec ſancta Communio non ſit mihi reatus ad poenam, ſed intercessio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et ſcutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, charitatis, et patientiae, humilitatis et obedientiae augmentatio: contra insidias inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium firmissima defensio, motuum meorum, tam carnalium, quam ſpiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio, finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, et ſpiritu ſancto, ſanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. In-

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Jesu Christe! humiliter exoro, ut hoc sacramentum corporis et sangvinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniae, sit stabilimentum gratiae, sit medicina vitae, sit memoria tuae passionis: sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meae peregrinationis. Euntem me deducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat — sentiat, obsecro, mens mea virtutem praesentiae tuae, gustet, quam svavis sis Domine, ut amore tui capta nihil extra te quaerat, nil diligat, nisi propter te. Tu es Rex meus, ne obliviscaris inopiae et tribulationis meae. Tu es judex meus, parce peccatis meis, et miserere mei. Tu es medicus meus, sana omnes in-

fir-

firmitates meas. Tu es ſponsus animae, desponsa te mihi in ſempiternum. Tu es dux et defensor meus, pone me juxta te et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es, et ego tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu Redemptor meus es, redime animam de manu inferi, et ſalva me. Tu es Deus meus et omnia: quid enim mihi eſt in coelo et a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. —

Oro te, Domine! dirige ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis Pontificem noſtrum N. Protege Antiſtitem noſtrum N. guberna Regem noſtrum N. indue Sacerdotes ex alto. Benedic Parentibus, Propinquis, Benefactoribus, amicis, et inimicis meis. (Impertire gratiam tuam omnibus curae meae commissis) Illumina infideles te ignorantes: revoca haereticos ac ſchismaticos, converte miseros pec-

catores. Miserere omnium; qui ſe precibus meis commendarunt, pro quibus ſcis me teneri, et vis me orare. Da vivis veniam et gratiam et fidelibus defunctis requiem ſempiternam. Amen.

O auguſtissima Virgo Mater Maria! omnesque ſancti et ſanctae Dei per veſtra, precor, merita impetrate mihi, ut panis hic Euchariſticus ſit mihi, meisque robur in infimitatibus periculisque animae ac corporis, ut in fortitudine cibi hujus ambulem per mundi desertum usque ad montem Dei, et Patriam coeleſtem, ubi copia ſine interruptione, gloria ſine invidia, ſecuritas ſine periculo, vita ſine morte, bonum omne ſine fine. Amen.

PRE-

PRECES
pro lucrandis Indulgentiis.

I.

Pro Exaltatione S. Matris Ecclesiae.

Omnipotens, et misericors Deus! benigno favore prosequere familiam tuam — protege militantem Ecclesiam: memento, Pater! congregationis tuae, quam possedifti ab initio: exorna eam decore Sanctitatis, auge gratiarum opibus, illuftra haereditatis amplitudine, ut digna appareat sponso fuo, tantoque Redemptionis pretio — refpice in nos, ejusdem S. Matris filios, associa nobis gentes universas, ut corda omnium te coeleftem Patrem cognoscant, laudent ac glorificent, et quem misifti, Chriftum Jesum Filium tuum, cum S. Spiritu Deum

ve-

verum, unum et trinum, qui vivis et regnas in ſaecula. Amen.

Visita, Domine! et perfice vineam tuam electam, quam plantavit dextera tua.

Oremus.

Respice, quaesumus, Domine! ſuper hanc familiam pro qua Dominus noſter, Jesus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis ſubire tormentum.

2. Pater, et Ave.

II.

Pro Exſtirpatione haeresum.

Domine Jesu Chriſte! Paſtor bone! confirma nos in vera fide: exſtirpa haereses et ſchismata, ut pulsis errorum tenebris veritatis tuae lumen omnes amplectantur, gremioque Ecclesiae adunentur — respice animas diabolica fraude deceptas, ut pravitate haeretica deposita errantium corda resipiscant,

et

et ad S. fidei redeant unitatem — protege, Domine! nos et contra insidias defende eorum, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinsecus ſunt lupi rapaces — mane nobiscum, Chriſte! uti promiſiſti te nobiscum futurum usque consumationem ſaeculi. Amen.

Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus.

Ecclesiae tuae, quaesumus, Domine! preces placatus admitte, ut deſtructis adversitatibus, et erroribus universis ſecura tibi ſerviat libertate per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

2. Pater, et Ave.

III.

Pro Concordia Principum Christianorum.

Spiritus alme! Deus charitatis, Pacis et unionis, qui diversas gentes in unitate Fidei congregaſti, largire Regi noſtro N. et omnibus Rectoribus Chriſtianis pacem ſanctam, et concordiae abundantiam eorum miniſtris inspira ſalutaria Consilia, everte benignus cuncta noxia molimina, quae divinae tuae gloriae, S. Ecclesiae aut Religioni Romano-Catholicae ullatenus adversantur, ſed unitis potius animis ad pacis aeternae fruitionem populum ſibi ſubjectum una ſecum feliciter deducant. Amen.

Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus! a quo ſancta desideria, recta consilia, et juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus

dare

dare non poteſt, pacem, ut et corda noſtra mandatis tuis dedita et hoſtium ſublata formidine tempora ſint tua protectione tranquilla, per C. D. N. Amen.

2. Pater, et Ave.

Oblatio operum pro Indulgentiis praescriptorum.

Misericordiarum Pater! ſuscipe has preces et pia opera, ut peccatorum indulgentiam, virtute clavium Ecclesiae hodie concessam, poenarumque temporalium remissionem (quam tui amore adplicari ſupplico pro NN.) mihi clementer imperſiri digneris, per merita vitae, Passionis, et mortis unigeniti Filii tui, B. V. Mariae, et Sanctorum omnium, queis jungo, quidquid ego, divinâ gratiâ, boni fecero, malive patienter ſuſtinuero, cum efficaci desiderio Divinae Juſtitiae pro delictis universis plene ſatisfaciendi, tibique Deo meo fideliter ſerviendi. Amen.

Pater, Ave, Credo.

Preces diversae.

Diebus Dominicis, et Festis.

Ante exhortationem.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem lingvarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Exhortationem.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jerusalem.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Praeſta nobis, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Adoratio Sanctissimi.

Coram te, o Sanctissimum Sacramentum cum ſumma reverentia proſternor, cum omnibus Angelis, et Archangelis, cum Thronis, et Dominationibus, cumque omni militia coeleſtis exercitns hymnum gloriae tuae concino, dicens:

cens: Centies millies laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum.

Credo, mi Jesu! firmissime, quod ſub his ſpeciebus tu Dominus meus, et Deus meus continearis. — Innovo, et offero tibi omnes affectus, et actus adorationis, ſalutationis, et recognitionis hic et ubique elicitos, et impensos, et non tantum hic, ſed et in omnibus Ecclesiis per totum mundum exiſtentibus.

Grates tibi refero, Domine! pro thesauris omnibus beneficiorum, quos hic aliquando effudiſti, et effundes — Doleo de omnibus peccatis, et irreverentiis, quibus aliquando in hoc loco offensus es, et offenderis.

Vos vero, Sancti Angeli! SS. Patroni! ad quorum Ecclesiam vivo, et in qua ſepeliar, adorate, et magnificate pro me iſtum Dominum meum hic praesentem, omni modo, omni tempore in aeternum Amen.

Ante

Ante quamcumque actionem.

Actiones noſtras, quaesumus, Domine! aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta noſtra oratio et operatio a te ſemper incipiat, et per te coepta finiatur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſt peractum laborem.

Non nobis, Domine! non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, o Domine, offero tibi laborem meum, auxilio gratiae tuae a me peractum; quia ſine te nihil poteſt mortalis fragilitas: fac ut ille tuam ad laudem et gloriam, animaeque meae ſalutem cedat per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ante Concionem.

Aures et oculos cordis mei, Domine Jesu Chriſte, aperi, ut audiam, et intelligam ſermones tuos, et paream voluntati tuae: pere-

peregrinus ego ſum in terra: mandata tua me non celato; patefac oculos meos, ut quae ſunt admirabilia in lege tua, intelligam. Amen.

Excita Domine, tuorum corda fidelium, ut ſacris intenta doctrinis, et intelligant, quae ſequantur, et ſequendo fideliter apprehendant.

Poſt Concionem.

Domine Jesu Chriſte, aeterne Salvator, gratias tibi ago, quod cibo verbi tui me refeciſti; oro te, ut apud me ſit efficax, et ſalutaris tui verbi perceptio, ne ſine fructu pereat ſementis illa coeleſtis; cuſtodi cor meum, et circumda ſepimento gratiae tuae, pectus meum tibi praepara, ut verbum tuum conſervet, et memoriae meae firmiter imprimat. Da mihi vires, ut vita mea doctrinae auditae reſpondeat. Da incrementum verbo tuo, o coeleſtis agricola, ut in me augeatur et creſcat, quatenus ſancto

tuo

tuo eloquio, non solum ad cognitionem tuae voluntatis perducar, sed etiam ut impleam, et exequar, quod jubes et vis, et sic perseverem, donec ad regnum tuum coeleste perveniam. Amen.

In quacumque necessitate.

Sancta Maria, Dei Genitrix, Virgo, Consolatrix afflictorum, salus infirmorum, refugium peccatorum, cum Josepho Sponso tuo dilectissimo et Filii tui Nutritio amantissimo, ne derelinquas me in hac afflictione *vel* petitione N. Esto mihi in hac caligine amara, stella lucis fulgida. Amen.

Pro felici morte.

Mater digna Dei, veniae via, luxque diei,
Sis tutela rei, duxque comesque mei,
Sponsa Dei, miserere mei, lux alma diei.

Di-

Digna coli, Regina poli, me linquere noli.
Nixa Deum, defende tuum, mihi dando trophaeum.
Me tibi Virgo pia, Genitrix commendo Maria.

Jesu Chriſte Fili Dei vivi miserere mei. Chriſtus Rex gloriae venit in pace. Deus homo factus eſt. Deus propitius eſto mihi peccatori, et ſis cuſtos animae meae nunc et ſemper et ubique.

Sanctissima Dei Parens Virgo, per acerbissimae Passionis Jesu Chriſti merita te ſupplex oro, ut ſi forte me hac die, (vel hac nocte) mori contigerit, mei memineris: tuis Virgineis manibus animam et corpus committo. Amen.

Domine Jesu Chriſte! per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti pro me in Cruce, maxime quando anima tua egressa eſt de corpore, miserere animae meae in egressu ſuo. Amen.

Ora-

Oratio contra Pestem.

Sancte Deus, † sancte Fortis, † sancte Immortalis † miserere nobis. Media vita in morte sumus, quem quaeremus adjutorem nisi te? Domine! qui pro peccatis nostris juste irasceris. Sancte Deus, † sancte Fortis, † sancte immortalis † misericors Salvator, amarae morti ne tradas nos. Ne projicias nos in tempore senectutis, cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos, Domine! *Iterum repetitur.* Sancte Deus † *usque ad ly media.*

℣. A peste et subitanea mala morte libera nos Domine!

℟. A damnatione perpetua salva nos, Christe Salvator!

Oremus.

Omnipotens, et misericors Deus, respice propitius super populum Majestati tuae subjectum: et ne nos furor saeviens inveniat, dextera tuae protectionis praeveniat.

 Per

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro Proximo.

Ecce! o Domine! hactenus pro me sollicitus multa postulavi, qui nec pauca promerui. Nunc meminisse charitatis debeo, ut de tua bonitate confisus pro aliis te exorem, me ergo exaudi orantem ad te pro membris tuis. Caro tua sumus, sangvis tuus, et membra illius corporis, quod pro nobis crucifixum est; nunc ergo miserere nobis, et da mihi; ut omnium hominum salutem, profectum, ac commodum ex toto corde diligam, quaeram, et promoveam ad gloriam sanctissimi nominis tui. Da mihi, ut et inimicos meos perfectissime diligam, non verbo aut lingva tantum, sed opere et veritate. Aufer a me omnem invidiam, et quidquid sincerissimae charitati adversatur, ut de omnibus in simplicitate bene sentiam, neminem

te-

temere judicem, universos piissimo affectu cordis in te diligam, et quae possum, dilectionis officia, impendam. Amen.

Pro Parentibus.

Domine Deus, qui ſecundum te, Patrem, et Matrem honorare, et pro eorum incolumi vita et fortunis, ut aequum eſt, orare praecepiſti; da parentibus meis, omnibusque fratribus, ſororibus, consangvineis, et amicis, nec non et domeſticis meis ſalutem et pacem: conserva eos in fidei tuae pietate: cuſtodi eos ab omnibus corporis, et animae incommodis: largire gratiam tuam, ne unquam a te ſeparentur, ſed propitium te ſemper Patrem, et Deum experiantur. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Amen.

Pro Amico.

Deus auctor pacis, et amator charitatis, quem nosse, eſt vivere,

re, cui ſervire, regnare eſt; da famulo tuo, pro quo miſericordiam tuam ſupplex imploro, in tua fide et famulatu conſtantiam, ut in charitate firmatus Divina, nullis tentationibus ab ejus integritate avellatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen.

Pro Inimicis noſtris.

Juſſiſti mitiſſime Pater, nos te pro iis orare, qui nobis male cupiunt, et quatenus possunt, male faciunt; idque tu non verbis ſolum, ſed factis etiam tuis, ad imitationem nobis propoſitis ſanxiſti: oramus te, ut ſpiritum nobis infundas tuae mansvetudinis, quo inimicorum et malevolentiam, et maledicentiam, et maleficia patienter toleremus, ſicuti et fecisse te accepimus, et quotidie facere animadvertimus; nec opere reponamus injuriam, nec verbis ultionem usurpemus, nec optemus animo; ut vere filii tui ſimus, qui pluis ſu-

per

per justos, et injustos, et qui pacem pro crucifixoribus exorasti in cruce. Ne perdas illos Domine, propter odium nostri, sed serva potius propter preces nostras; emendationem illorum cupimus Domine, non perditionem. Fac ut hic per amorem mutuum conjuncti incipiamus concordes ingredi viam, quae ducit ad civitatem cœlestem, in qua perpetuo invicem pace sine invidia fruamur in charitate tua. Amen.

Pro Infirmo.

Domine Jesu! per amorem, quo langvores nostros tulisti, et dolores nostros portasti, rogo, ut infirmo N. conserves patientiam: et ut singula momenta, per quae passurus est, perducas ad gratiorem laudem tuam, et utilitatem animae ejus, secundum quod charitas ab aeterno praeordinavit in corde tuo paterno ad aeternam ipsius salutem.

Pro

Pro agonizante.

Clementissime Deus! qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum NN. et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi: renova in eo, misericordiarum Pater! quidquid terrena fragilitate corruptum est, et unitati Corporis Ecclesiae membrum redemptionis adnecte: miserere benignus gemituum ejus, et non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad tuae Sacramentum reconciliationis admitte: per Christum Dominum nostrum. Amen. *Pater: Ave.*

Post egressum animae.

Subvenite, Sancti Dei! occurrite Angeli Domini! suscipientes ani-

nimam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi: suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te. Requiem aeternam dona ei, Domine! et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. *Pater noster.*

Requiem aeternam dona ei, Domine! et lux perpetua luceat ei.

A portà inferi erue Domine! animam ejus.

Requiescat in pace. Amen.

Domine exaudi orationem &c.

Oremus.

Tibi Domine! commendamus animam famuli tui N. ut defunctus saeculo, tibi vivat, et quae per fragilitatem conversationis humanae peccata commisit, tu veniâ misericordissimae pietatis tuae clementer absterge, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Requiem aeternam &c. Requiescat in pace. Amen. *Pater et Ave.*

Pro

Pro defuncto Patre, vel Matre.

Deus! qui nos Patrem et Matrem honorare praecepisti, miserere clementer animae mei Patris (Matris, vel: animabus Patris et Matris meae, eorumque) ejusque peccata dimitte, meque eum (eam, vel: eos) in aeternae claritatis gaudio fac videre: per Christum D. N. Amen.

Pro Defunctis.

Miserere Domine animabus, quae singulares, apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tormentis, neque spes ulla, nisi quod ad imaginem et similitudinem tuam creatae sint, quae antiquitate, vel paupertate, aut negligentia in oblivionem servorum tuorum traditae sunt, quarum primus, sextus, septimus, trigesimus aut anniversarius dies nunquam celebratur. Parce eis Domine, et defende plasma tuum, li-

be-

bera eas a cruciatu et tormentis, porrige eis dexteram tuam, et perduc eas in locum refrigerii, lucis et pacis. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et ſaeculum per ignem. Amen.

Pro Pluvia.

Antiphona. Domine Rex, Deus Abraham, dona nobis pluviam ſalutarem, ſuper faciem terrae, ut ſciat populus tuus, quia tu es Dominus, Deus noſter.

℣. Rigans montes de ſuperioribus ſuis.

℞. Et de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

Oremus.

Deus, in quo vivimus, movemur, et ſumus, pluviam nobis tribue congruentem: ut praesentibus ſubsidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Amen.

Pro

Pro Serenitate.

Antiphona. Domine Rex, Deus Abraham, dona nobis ſerenitatem, ſuper faciem terrae, ut ſciat populus tuus, quia tu es Dominus, Deus noſter.

℣. Emitte manum tuam de alto.

℟. Et libera nos de aquis multis.

Oremus.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi; et aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus; ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, misericordia tua praeveniente clementiam ſentiamus.. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Contra Tonitrua.

Jesus Chriſtus, Rex gloriae venit in pace ✠ Deus homo factus eſt ✠ et Verbum Caro factum eſt ✠ Chriſtus ex Virgine natus eſt ✠ Chriſtus passus eſt ✠ Chriſtus crucifixus eſt ✠ Chriſtus mortuus eſt ✠ Chri-

✠ Christus resurrexit a mortuis ✠ Christus ascendit in Coelos ✠ Christus vincit ✠ Christus regnat ✠ Christus imperat ✠ Christus nos defendat, et custodiat ab omni fulgure, et tempestate ✠ Christus ibat per medium illorum in pace ✠ Christus nobiscum est ✠ abscedite vos Spiritus maligni! vicit enim Leo de tribu Jnda, radix David ✠ Sancte Deus ✠ Sancte fortis ✠ Sancte immortalis ✠ miserere nobis, et custodi nos a mala improvisa morte. Amen.

3. *Pater et Ave.*

Haec oratio utilis, et efficax pie credi potest, prout certi Religiosi in Lusitania ex revelatione Divina Saeculo XVI. in effectu experti sunt.

Ad horae Sonum.

Omnipotens Deus, da mihi felicem horam vivendi et moriendi. Amen.

Ora-

Oratio S. Thomae Aquinatis ad emendationem vitae quotidie recitanda.

Concede mihi, misericors Deus! quae tibi placita ſunt, ardenter concupiscere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere. — Ad laudem et gloriam nominis tui ordina ſtatum meum, et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut ſciam, et da exequi, ſicut oportet, et expedit animae meae. — Da mihi, Domine Deus meus! inter prospera, et adversa non deficere: ut in illis non extollar, in iſtis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel a te abducat. — Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi — Vilescant mihi, Domine! omnia transitoria, et chara mihi ſint omnia tua propter te, et tu, Deus! ſuper omnia — Taedeat me gaudii, quod eſt ſine te, nec ali-

quid

quid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine! labor, qui eſt pro te, et taediosa ſit mihi omnis quies, quae eſt ſine te. Frequenter da mihi Domine! cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem ſine contradictione, pauperem ſine defectione, caſtum ſine corruptione, patientem ſine murmuratione, humilem ſine fictione, et hilarem ſine dissolutione, et triſtem ſine dejectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, timentem ſine desperatione, veracem ſine duplicitate, operantem bona ſine praesumptione, proximum corrigere ſine elatione; ipsum aedificare verbo et exemplo ſine ſimulatione. Da mihi Domine Deus! cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet ſiniſtra in-

ten-

tentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet perversa et violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, ſapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu S. vivis et regnas Deus in ſaecula. Amen.

LV.

LYTANIAE
de Sanctiſsima Trinitate:

Quae die Domini ſemper recitari possunt.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
O Beata Trinitas audi nos.
O adoranda Unitas, exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Vera, et una Trinitas,
Una, et summa Deitas,
Sancta, et indivisa Unitas,
Unitas in ſubſtantia, et Trinitas in Personis,
Una, et par potentia,
Una, et coaeterna Majeſtas,
Una, et aequalis gloria,
} Miserere nobis.

Una,

Una, et Divina Trinitas,
Pater Creator,
Fili Redemptor,
Spiritus Sancte Paraclite,
Deus unus in ſubſtantia, et trinus in personis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus S. ex utroque procedens,
Una ſancta Creatrix, et Gubernatrix omnium Trinitas,
Immensa aeterni Patris potentia,
Inscrutabilis Filii Dei Sapientia,
Efficacissima Spiritus S. bonitas,
Una, et ſimplex Divinitas,
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,
Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis,
In quo vivimus, movemur, et ſumus,
Ex quo, in quo, et per quem ſunt omnia,

Miserere nobis.

Rex

Rex ſaeculorum immortalis, et invisibilis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob,
Qui eras, qui es, et qui venturus es, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, unus Deus,) Miserere nobis.

Propitius eſto; Parce nobis SS. Trinitas.

Propitius eſto; Exaudi nos SS. Trinitas.

Ab omni malo; Libera nos SS. Trinitas.

Ab omni peccato,
Ab omni ſuperbia, et pertinacia,
Ab omni avaritia, et cupiditate,
A gula, et amore mundi,
Ab omni invidia, et odio,
Ab ira, et omni mala voluntate,
Ab omni luxuria, et immunditia,
Ab omni acedia, et pusillanimitate,
A maledictione perpetua,) Libera nos SS. Trinitas.

Per

Per fortitudinem omnipotentiae tuae,
Per Majeſtatem gloriae tuae,
Per abundantiam bonitatis tuae,
Per magnitudinem charitatis tuae,
Per multitudinem miserationum tuarum,
Per abyssum judiciorum tuorum,
Per altitudinem ſapientiae, et ſcientiae tuae,
Per divitias beatitudinis tuae,
In die judicii; — Libera nos SS. Trinitas.

Peccatores; Te rogamus audi nos.

Ut te Dominum Deum noſtrum adoremus, et tibi ſoli ſerviamus;
Ut nomen ſanctum tuum invanum non assumamus;
Ut Ecclesiae dies feſtos observemus, et ſanctificemus;
Ut parentes, et ſuperiores noſtros obediendo, et ſubveniendo honoremus; — Te rogamus audi nos.

Ut

Ut neque facto, neque consilio ullum occidamus, vel laedamus;
Ut nec mente, nec corpore turpia unquam committamus;
Ut furtum non faciamus nec quemquam contra juſtitiam gravemus;
Ut contra proximum falsum teſtimonium, vel mendacium nunquam loquamur;
Ut proximi bona nunquam concupiscamus, aut invideamus;
Ut ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine te diligamus;
Ut proximum propter te, ſicut nos ipsos, sincere diligamus,
Ut ad conspectum gloriae tuae nos perducere digneris;
Deus Genitor, Deus Genite, Deus ex utroque procedens;

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Redde nobis Patrem propitium.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Propitius esto nobis peccatoribus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Dona nobis Spiritum Sanct.

O beata Trinitas! Audi nos.

O adoranda Unitas! Exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

℣. Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui:

℟. Et laudent te, et glorificent in saecula.

℣. Benedicant te coeli, mare, terra, et omnia, quae in eis ſunt;
℟. Et laudent te, et glorificent in ſaecula.
℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu:
℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſaecula.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majeſtatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adversis.

Deus innocentiae reſtitutor, et amator: dirige ad te tuorum corda ſervorum: ut, ſpiritus tui fervore concepto, et in fide inveniamur ſtabiles, et in opere efficaces.

Omni-

Omnipotens ſempiterne Deus: da nobis fidei, ſpei, et charitatis augmentum: et ut mereamur assequi, quod promittis: fac nos amare, quod praecipis.

Largire, quaesumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et ſecura tibi mente deserviant.

Omnipotens ſempiterne Deus: infirmitatem noſtram propitius respice, atque ad protegendum, et ſalvandum nos, dexteram tuae Majeſtatis clementer extende. Per Dominum noſtrum, &c. Divinum auxilium maneat, &c.

SYMBOLUM S. ATHANASII.

Quicunque vult ſalvus esse, ante omnia opus eſt; ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque ſervaverit, absque dubio in aeternum peribit.

bio

Fides autem Catholica haec eſt: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia enim eſt persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, una eſt Divinitas, aequalis gloria, coaeterna Majeſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres aeterni; ſed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi; ſed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S.

Et

Et tamen non tres omnipotentes; ſed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S.

Et tamen non tres Dii; ſed unus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam Deum, ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre, et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus; ſed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil majus, aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.

Ita, ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta; ut credamus, et confiteamur: quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus: et homo est ex substantia Matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri ſecundum Divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit, et homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem, non conversione Divinitatis in Carnem; ſed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione ſubſtantiae, ſed unitate Personae.

Nam ſicut anima rationalis, et caro unus eſt homo; ita Deus, et homo unus eſt Chriſtus.

Qui passus eſt pro ſalute noſtra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis:

Ascendit ad coelos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus ſuis, et reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec

Haec est Fides Catholica: quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.
Gloria Patri, et Filio, &c.

LYTANIAE
de SS. Nomine JESU.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Jesu Christe audi nos.
Jesu Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Jesu, Fili Dei vivi, miserere nobis.
Jesu Fili Mariae Virginis, miserere nobis.
Jesu Sanctissime, miserere nobis.
Jesu potentissime, miserere nobis.
Jesu fortissime, miserere nobis.
Jesu perfectissime, miserere nobis.

Jesn gloriosissime,
Jesu piissime,
Jesu mirifice,
Jesu charissime,
Jesu dulcissime,
Jesu jucundissime,
Jesu clarissime,
Jesu clarior Sole,
Jesu pulchrior Luna,
Jesu ſplendidior ſtellis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu ſapientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu caſtissime,
Jesu amator caſtitatis,
Jesu amator pacis,
Jesu amor noſter,
Jesu ſpeculum vitae,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu ſpeculum perfectionis,
Jesu zelator animarum,

miserere nobis.

Jesu

Jesu refugium noſtrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu Thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu ſtella maris,
Jesu lux vera,
Jesu ſapientia aeterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu ſalvator mundi,
Jesu mediator Dei, et hominum
Jesu bone Paſtor ovium,
Jesu benignissime,
Jesu dilectissime,
Jesu clementissime,
Jesu desideratissime,
Jesu mitissime,
Jesu amantissime,
Jesu amator fidelissime,
Jesu amator noſter,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Rex Patriarcharum,
Jesu inſpirator Prophetarum,
Jesu Magiſter Apoſtolorum,
Jesu Doctor Evangeliſtarum,

miserere nobis.

Jesu

Jesu fortitudo Martyrum, miserere nobis.
Jesu lumen Confeſſorum, miserere nobis.
Jesu ſponse Virginum, miserere nobis.
Jesu Corona Sanctorum omnium, miserere nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Jesu.
Propitius eſto, Libera nos Jesu.
Ab omni periculo,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peſte, fame, et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Libera nos Jesu.

Per gloriam tuam, libera nos Jesu.
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam, libera nos Jesu.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, libera nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; miserere nobis Jesu.
Jesu Chriſte, audi nos.
Jesu Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleison. Chriſte eleison. Kyrie eleison.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libeia nos a malo.
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et omnia, quae intra me ſunt, nomini ſancto ejus.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in ſaeculum.

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum, et terram.

℣. Domine exaudi, orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter, et amorem fac non habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuae dilectionis inſtituis.

Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, insere pectoribus noſtris tui nominis amorem et praeſta in nobis religionis augmentum, ut, quae ſunt bona, nutrias, ac pietatis ſtudio, quae ſunt nutrita, cuſtodias:

Deus,

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Chrifti Filii tui, Domini noftri, fecifti fidelibus tuis fummo fuavitatis affectu amabile, et malignis fpiritibus tremendum, atque terribile: concede propitius: ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, fanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, in futuro gaudium exultationis, et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eundem Dominum noftrum, &c.

Oratio S. Gregorii Papae.

Bone Jesu, Verbum Patris, fplendor paternae gloriae, in quem desiderant Angeli prospicere: doce me facere voluntatem tuam: ut a fpiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi eft dies aeternus, et unus omnium fpiritus; ubi eft certa fecuritas, et fecura aeternitas, et aeterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, et felix fuavitas, et fuavis jucunditas:

tas: ubi tu Deus cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

LYTANIAE
de Spiritu Sancto.

Quae dum eſt feſtum S. Spiritus: dum ad confeſſionem te praeparas, vel alium laborem literarium aggrederis, dici possunt.

Kyrie eleison.
Chriſte eleison.
Kyrie eleison.
Spiritus Sancte, audi nos.
Spiritus Paraclite, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

San-

Sancta Trinitas unus Deus,
Spiritus veritatis,
Spiritus ſapientiae,
Spiritus intellectus,
Spiritus fortitudinis,
Spiritus pietatis,
Spiritus recti consilii,
Spiritus ſcientiae,
Spiritus ſancti timoris,
Spiritus charitatis,
Spiritus gaudii,
Spiritus pacis,
Spiritus patientiae,
Spiritus benignitatis,
Spiritus bonitatis,
Spiritus longanimitatis,
Spiritus mansuetudinis,
Spiritus fidei, et ſpei,
Spiritus modeſtiae,
Spiritus conscientiae,
Spiritus caſtitatis,
Spiritus humilitatis,
Spiritus prudentiae,
Spiritus vitae et salutis,
Spiritus virtutum,
Spiritus multiformis gratiae,

} miserere nobis.

Spi-

Spiritus adoptionis filiorum Dei,)
Purificator animarum nostrarum,
Ecclesiae Catholicae Sanctificator, et Rector, scrutans corda, et renes Deus,
Coelestium donorum distributor
Director cogitationum, et intentionum cordis,
Securum in omni adversitate praesidium,
Dulcedo in tuo servitio incipientium,
Virtus in te proficientium,
Corona perfectorum,
Gaudium Angelorum,
Illuminatio Patriarcharum,
Os, et sapientia Apostolorum,
Victoria Martyrum,
Scientia Confessorum,
Puritas Virginum,
Unctio Sanctorum omnium,)

miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Sancte Spiritus.
Propitius esto, exaudi nos Sancte Spiritus.

Ab

Ab omni malo, libera nos S. Spiritus.

Ab omni peccato,
Ab omnibus tentationibus, et insidiis diaboli,
Ab omni praesumptione, et desperatione,
Ab impugnatione veritatis agnitae,
Ab invidentia fraternae gratiae,
Ab omni obſtinatione, et Impoenitentia,
Ab omni negligentia, et torpore animi,
Ab omni immunditia mentis, et corporis,
Ab haeresibus, et erroribus universis,
Ab omni malo ſpiritu,
A mala, et aeterna morte,
Per aeternam ex Patre, Filioque processionem tuam,
Per miraculosam conceptionem Filii Dei,
Per descensionem tuam ſuper Chriſtum baptizatum,

Libera nos S. Spiritus.

Per ſanctam apparitionem tuam in transfiguratione Domini, libera nos S. Spiritus.

Per adventum tuum ſuper discipulos Chriſti, libera nos S. Spiritus.

In die Judicii, libera nos S. Spiritus.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,

Ut omnia Ecclesiae membra vivificare, et ſanctificare digneris,

Ut gratia tua ſancta, et efficaci nos ubique praevenire, comitari, et ſubsequi digneris,

Ut verae pietatis, devotionis, et orationis donum nobis dare digneris,

Ut omnes cogitationes, verba, et opera noſtra ad te dirigere, et ſanctificare digneris,

Ut verae humilitatis, omniumque virtutum praesidia nobis dare digneris,

Ut ſanctae paupertatis ſtudium in nobis augere digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut donum mansuetae patientiae in nobis plantare digneris,
Ut gratiam lacrymarum nobis dare digneris,
Ut ad veram juſtitiam nos continuo aspirare concedas,
Ut ſinceros misericordiae, charitatisque affectus inſpirare digneris,
Ut ſpiritum novum, et cor mundum in nobis creare digneris,
Ut ad tolerandas propter juſtitiam persecutiones nos dignos, et fortes efficias,
Ut nos in gratia tua confirmare digneris,
Ut nos in numerum electorum tuorum recipias,
Ut nos exaudire digneris,
Spiritus Sancte Deus,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Effunde in nos Spiritum Sanctum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Emitte promissum in nos Patris Spiritum.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Da nobis Spiritum bonum.
Spiritus Sancte, audi nos.
Spiritus Paraclite, exaudi nos.
Kyrie eleison. Chriſte eleison. Kyrie eleison.
Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et Spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me a facie tua.
℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.
℣. Redde mihi laetitiam ſalutaris tui.
℟. Et ſpiritu principali confirma me.
℣. Spiritus Sancti gratia.
℟. Illuminet ſensus, et corda noſtra.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, et de ejus ſemper consolatione gaudere.

Omnipotens, ſempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiae ſanctificatur, et regitur: exaudi nos pro universis Ordinibus ſupplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur. Per eundem Dominum noſtrum, qui tecum Spiritus unus eſt Deus, in ſaecula ſaeculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino
℟. Deo gratias.
℣. Et fidelium animae, &c.

LYTANIAE LAURETANEAE.

Quae omni vesperi dici possunt:

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis,
Spiritus sancte Deus, miserere nobis,
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis,

Sancta Maria,) Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,)

Ma-

Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum juſtitiae,
Sedes ſapientiae,
Causa noſtrae laetitiae,
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,

Ora pro nobis.

Re-

Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Patrona Hungariae,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleison, Chriſte eleison, Kyrie eleison.

Ave Maria, &c.

Sub tuum praesidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne despicias in neces-

sita-

s'tatibus noſtris, ſed a periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, et benedicta, Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Gratiam tuam quaeſumus, Domine, mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per paſſionem ejus et crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. Ora pro nobis beatiſſime Joſeph.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus C..riſti.

Ore-

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus! per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

LYTANIAE
de S. Aloysio.

Kyrie eleison.
Chriſte eleison.
Kyrie eleison.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
San-

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

S. Maria, Regina Angelorum, ora pro nobis.

S. Maria, Regina Virginum,
S. Aloysi,
S. Aloysi, Juvenis prudentissime,
S. Aloysi, Juvenis Angelice,
S. Aloysi, Juvenis modestissime
S. Aloysi, diligentissime Imitator B. V. Mariae,
S. Aloysi, amator pauperum,
S. Aloysi, contemptor mundi,
S. Aloysi, tui corporis osor,
S. Aloysi, inter voluptates castissime,
S. Aloysi, inter honores humillime,
S. Aloysi, sine distractionibus orans,
S. Aloysi, semper florens in gratia,
S. Aloysi, semper crescens in virtute,
S. Aloysi, semper ardens charitate,

Ora pro nobis.

S.

S. Aloysi, custos tuorum sensuum,
S. Aloysi, venerator Vulnerum Christi,
S. Aloysi, a turpibus cogitationibus semper liber,
S. Aloysi, a stimulis carnis semper immunis,
S. Aloysi, verus miles Christi,
S. Aloysi, Dux Viatorum,
S. Aloysi, Consiliarie dubitantium,
S. Aloysi, Conciliator pacis inter inimicos,
S. Aloysi, defensor pugnantium,
S. Aloysi, terror daemonum,
S. Aloysi, salus infirmorum,
S. Aloysi, restitutor memoriae,
S. Aloysi, lumen coecorum,
S. Aloysi, pes claudorum,
S. Aloysi, leprosorum mundator,
S. Aloysi, mortuorum suscitator,
S. Aloysi, gloria Principum,
S. Aloysi, Religiosorum speculum,

Ora pro nobis.

S. Aloysi, juventutis exemplar,
S. Aloysi, Idea perfectionis,
S. Aloysi, decus Societatis Jesu,
S. Aloysi, defensor innocentiae,
S. Aloysi, Martyr incognite.

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; miserere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleison. Chriſte eleison. Kyrie eleison.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Iſte eſt beatus, qui contempsit vitam mundi.

℟. Et pervenit ad regna coeleſtia.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui B. Aloysium per totum vitae tempus ab omnium turpium cogitationum, et mortiferae culpae macula liberasti, ut perfecto tibi amore deserviret! quaesumus, ut nos similes ei facias munere, et amore. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad Sanctum Aloysium.

Innocentissime Aloysi, ego indignissimus famulus, ac cliens tuus totam corporis, et animae meae puritatem, omniaque vitae negotia specialiter tibi commendo. Rogo te per Angelicam puritatem tuam, ut me Jesu Christo, Agno immaculato, ejusdemque Matri Virgini commendare digneris, et ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas me ulla unquam impuritatis labe faedari: sed quamprimum in tentatione, et peccandi periculo constitutum me videris,

abige

abige procul a corde meo cogitationes, affectus omnes immundos, et injecta memoria aeternitatis, et Christi crucifixi, imprime mihi medullitus sensum timoris Domini, et Divini in me amoris ignem accende. Amen.

SEPTEM PSALMI
POENITENTIALES.

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine, usque quo?

Convertere, Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, et erubescant valde velociter.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus 31.

Beati, quorum remiſsae ſunt iniquitates: et quorum tecta ſunt peccata.

Bea-

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in ſpiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea; dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua; converſus sum in aerumna mea: dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci; et injustitiam meam non abſcondi.

Dixi: Cofitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

Verum tamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exsultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus, et mulus: qibus non est intellectus.

In camo, et fraeno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino, misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate juſti: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 37.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittae tuae infixae ſunt mihi: et confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non est ſanitas in carne mea, a facie irae tuae: non eſt pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae ſupergressae ſunt caput meum: et ſicut onus grave gravatae ſunt ſuper me.

Pu-

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae,

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: et ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: et non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, ſperavi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: et dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati ſunt ſuper me: et multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

Qui

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus ſalutis meae.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 50.

Miserere mei, Deus: ſecundum magnam misericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miserationum tuarum; dele miquitatem meam:

Amplius lava me ab inquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam inquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est ſemper.

Tibi ſoli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in ſermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniqitatibus conceptus ſum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta ſapientiae tuae manifeſtaſti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et ſpiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam ſalutaris tui: et ſpiritu principali conſirma me.

Docebo iniquos vias tuas; et impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: et os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluisses ſacrificium, dedissem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis ſacrificium justitiae, oblationes, et holocausta; tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri et Filio &c.

Psalmus 101.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: et ossa mea ſicut cremium aruerunt. Per-

Percussus ſum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus ſum ſicut passer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae, et indignationis tuae: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: et ego ſicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem, et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quo-

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine: et omnes Reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria ſua.

Respexit in orationem humilium: et non ſprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso ſancto ſuo: Dominus de coelo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuncient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et Reges, ut ſerviant Domino.

Respondit ei in via virtutis ſuae: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne

Ne revoces me in dimidio dierum meorum; in generationem, et generationem anni tui!

Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum ſunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes ſicut veſtimentum veterascent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt: et ſemen eorum in ſaeculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis ſustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam ſustinui te Domine. Su-

Sustinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A Custodia matutina usque ad noctem: ſperet Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 142.

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris ſicut mortuos ſaeculi: et anxiatus est ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri &c.

LYTANIAE
omnium Sanctorum.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta

Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphaël, ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista: ora pro nobis.
Sancte Josephe, ora pro nobis.
Omnes S. Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,

} Ora pro nobis.

San-

Sancte Thadaee, ora pro nobis.
Sancte Mathia, ora pro nobis.
Sancte Barnaba, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Omnes Sancti Apoſtoli et Evangeliſtae, orate pro nobis.
Omnes Sancti Disciputi Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylveſter, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.

San-

Sancte Ambrosi, ora pro nobis.
Sancte Augustine, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.
Sancta Anna,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia, } Ora pro nobis.

Omnes

Omnes Sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.

Propitius eſto, parce nobis Domine.

Propitius eſto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A ſubitanea et inprovisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A Spiritu fornicationis,
A fulgure et tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctae Incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per Baptismum et S. jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et ſepulturam tuam,
Per ſanctam resurrectionem tuam,

Libera nos Domine.

Per

Per admirabilem ascenſionem tuam Libera nos Domine.

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Libera nos Domine.

In die judicii, Libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam S. regere et conservare digneris,
Ut domnum Apoſtolicum et omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conservare digneris,
Ut inimicos ſanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Regibus et Principibus Chriſtianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem, et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo ſancto ſervitio confortare, et conservare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut mentes noſtras ad coeleſtia desideria erigas,
Ut omnibus Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas.
Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, et Benefactorum noſtrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Filii Dei,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleison, Chriſte eleison, Kyrie eleison. *Pater noſter.*

Psal-

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: Domine! ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur, et revereantur, qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubescentes, qui dicunt mihi: euge, euge.

Exultent, et laetentur in te omnes; qui quaerunt te, et dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper ſum, Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu, Domine, ne moreris.

Gloria Patri &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine! turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine! non ſecundum peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Dominus conſervet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro Benefactoribus noſtris.

℟. Retribuere dignare Domine! omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis,

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus noſtris absentibus.

℞. Salvos fac ſervos tuos Deus meus ſperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.

℞. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt misereri ſemper et parcere: ſuscipe deprecationem noſtram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, ſupplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus!

Deus! qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis noſtris meremur, averte.

Omnipotens ſempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici noſtro N. et dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis aeternae: ut te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo ſancta desideria, recta consilia, et juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut et corda noſtra mandatis tuis dedita, et hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes noſtros, et cor noſtrum Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor et Redemptor! animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccato-

 rum

rum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus consequantur.

Actiones noſtras quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta noſtra oratio et operatio a te ſemper incipiat, et per te caepta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum Dominaris ſimul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te ſupplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens ſaeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuscepit, intercedentibus omnibus ſanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum ſuorum veniam consequantur. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

Ora-

Oratio Dominica.

Pater noſter, qui es in coelis: ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, ſicut in coelo, et in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita noſtra, ſicut et nos dimittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

Salutatio Angelica.

Ave Maria! gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis noſtrae. Amen.

Symbolum Apoſtolorum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et ter-

rae,

rae, et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: et vitam aeternam. Amen.

Decem

Praecepta Decalogi.

I. Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, ut adores illud.

II.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices.

IV. Honora Patrem tuum et Matrem tuam, ut ſis longaevus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus, dabit tibi.

V. Non occides.

VI. Non moechaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII. Non loquèris contra proximum tuum falsum teſtimonium.

IX. Non concupisces uxorem proximi tui.

X. Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa, quae illius ſunt.

Quin-

Quinque

Praecepta Ecclesiae.

I. Statutos Ecclesiae festos dies celebrato.

II. Sanctum Missae Sacrificium diebus festis reverenter audito.

III. Indicta certis diebus jejunia, et a quibusdam cibis abstinentiam observato. Diebus veneris, et Sabathi a carnibus abstineto.

IV. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor: et sanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschae sumito.

V. Diebus ab Ecclesia interdictis nuptias non celebrato.

VII. Sacramenta.

Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

VII. Peccata Capitalia.

Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis.

Credo in te Deum meum, vivum et verum, Trinum in personis, Unum in Deitate: Credo in Deum Patrem Creatorem: Filium Redemptorem: Spiritum Sanctum Sanctificatorem meum: credo, et confiteor fidem illam ſanctissimam, quam Jesus Chriſtus docuit, quam Apoſtoli praedicarunt, quam ſancta Romana Catholica tenet Ecclesia: et in hac ſancta ſalvifica fide proteſtor me vivere, et mori velle, quia tu Deus illam revelaſti, qui ut omniscius nec falli, nec ut aeterna veritas fallere poteſt.

Spero in misericordia tua infinita, o Deus! auxiliator unice et potentissime corporis et animae meae, et

et ſpero in pretioso ſangvine Jesu Chriſti, Salvatoris mei, cum tanta charitate pro me fuso, quod remissurus mihi ſis omnia et ſingula peccata totius vitae meae, et daturus mihi vitam aeternam; quia promisiſti, et fidelis ac omnipotens es in tuis promissis adimplendis.

Amo te, o amabilissime Deus! ſummum et infinitum bonum, abyssum omnis perfectionis, propter ſolam tuam essentialem et intrinsecam bonitatem, pulchritudinem et amabilitatem! *Quia tu es, qui es!* omni possibili amore et honore dignissimus: et utinam possem te amare omni illo ardentissimo amore, quo te amant, et in aeternum amabunt omnes ſancti Angeli, et Beati in coelo, quo te amant, et amare possunt omnes creaturae actuales, et possibiles in terra: cum quorum omnium ardentissimo amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Et

Et ex hoc conjuncto ardentissimo tui amore, o Deus! cordicitus doleo de omnibus peccatis meis; abominor, execror, et retracto omnia et ſingula: utinam facere possem, ut ea nunquàm fecissem! malo mori, quam te, o amantissime Deus! poſt hac unquam ullo peccato, praesertim mortali, offendere!

LI.

LIBER HYMNORUM.

Cantio Missalis.

Ad Introitum.

I.

Prosternimur credentes,
Coram Te Trinitas,
Exaudi concinentes,
O simplex unitas!
En hostiam litamus,
Quam lege jusseras;
Nos simul immolamus,
Hoc poscit pietas.

2. *Ascendat ut incensum*
Isthaec oblatio:
Fiat munus impensum
Tui placatio;

Non

Non vitulos litamus,
Ut Aaron fecerat,
Sed Chriſtum dedicamus
Qui ſe ſacraverat.
3. *Servator ante coenam,*
Quae fuit ultima,
Quando pro nobis poenam
Subivit victima,
Accepit dicens: panem,
Et vinum tribuam;
Habete perennalem
Mei memoriam.
4. *Sitis, ait, edentes*
Sacrati corporis,
Atque pie bibentes
Divini calicis.
Amore mei ſignum
Ne vobis excidat,
Mox ſcandam crucis lignum,
Ut credens ſic vivat.

Ad Gloria.

1. *O Deus Majeſtatis!*
Tibi laus, gloria,
Sit bonae voluntatis
Cunctis pax inclita,

Ne

Ne bella, fac clementer,
Fideles opprimant,
Sed Tibi condecenter
Servire gestiant.
2. *Rex coeli, Pater magnus,*
Glorificamus Te,
O Fili! Dei Agnus!
Tibi sint gratiae:
Nos audi deprecantes,
Qui solus sanctus es,
Cum Spiritu laudantes
Sancto Te millies.

Ad Evangelium.

1. *Audimus Dei verbum*
Ex Evangelio,
Hoc habet fundamentum
Vera Religio;
Nam haec is revelavit,
Qui nunquam fallitur;
Pius haec adamavit,
Et promtus sequitur.
2. *Hoc verbum veritatis*
Coelestem semitam
Ostendit revelatis
Iter ad patriam.

O!

O! fac nos custodire,
Quae fides exigit,
Ad vitam sic venire,
Quae nunquam deficit.

Ad Credo.

1. *Te Patrem fides dicit*
Creantem omnia,
Et Filium proponit
Salvantem perdita:
De Coelo hic advenit
Natus ex Virgine,
Fit homo, nos redemit
Passus pro homine.
2. *Crucis morti addixit*
Illum gens perfida,
Post dies tres revixit
Potens in gloria;
Sedet regnans in Coelo
Ad Patris dexteram,
Venturus dicet Verbo
Judex sententiam.
3. *Paraclitum fatemur,*
Quod in Ecclesia
Communio, docemur,
Sit sanctis mutua:

Pec-

Peccatum relaxatur,
Carnis ſurrectio,
Perpetuaeque datur
Vitae fruitio.

Ad Offertorium.

1. *Æternus Deus unus!*
Oblatum ſuscipe,
Panis et vini munus
Placatus respice!
Nam panis corpus verum,
Pro cunctis hoſtia,
Et ſanguis Chriſti merum
Fiet proficua.
2. *Sacramus voluntatem,*
Et cor intelligens.
Juva fragilitatem
Ut mens ſit obsequens,
Da leges cuſtodire,
Quas jubes exsequi,
Malo non consentire,
Vitamque consequi.
3. *Quae das terrena bona,*
Tibi ſubſternimus,
Vitam, et cuncta dona
Litantes reddimus;

Nunc

Nunc pluvia, nunc ſole
Tellurem paſcito,
Fructifero nunc rore
Nos benedicito.

Ad Sanctus.

1. *Mentem et cor levemus*
Ad coeli ſidera,
Ter ſanctus decantemus
Deo in gloria;
Qua Polum, terram replet
Majeſtas Numinis,
Coecas mentes colluſtret,
Creator luminis.
2. *Ut ſic unito corde*
Mens Hoſanna pium
Procul ab omni ſorde
Applaudat omnium;
Qui venit Benedictus
Suo in Nomine,
Amen coelorum verum
Reponat Domine.

Ad

Ad Elevationem.

Adoramus te.
Panis Angelice!
Tu Deus homo es,
Noſtrae ſalutis ſpes,
Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Sanctus Sacro-Sanctus,
Jesus in Sanctissimo
Corporis Myſterio.

vel:

O Salutaris hoſtia!
Quae coeli pandis oſtium!
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.
2. *Uni, Trinoque Domino,*
Sit ſempiterna Gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Poſt Elevationem.

1. *Adoro Te devote*
Velata Deitas!
Quis capit vel remote
Modum, quo latitas?
Hic ſola ſides regnat,
Nam eſt myſterium,

Fidelis ut quis credat,
Tantum miraculum,
2. *In cruce ſuit tecta*
Sola Divinitas,
Sed manet hic contecta
Simul humanitas:
Divinum manna datur
Panis coeleſtium,
Mors Chriſti memoratur
Salutis pretium.
3. *O Jesu nos immundos*
In tuo ſangvine
Munda, et ſac ſoecundos
Thesauro gratiae,
Æternam, quam ſperamus,
Vitam in patria,
Da, ut obtineamus
In coeli gloria.

Ad Commuuionem.

1. *Gaudete, piae mentes!*
Ecce prodigium,
Sitis corde praesentes
Ad hoc edulium;
Chriſti Corpus, et Sangvis
Vere Deiſice

La-

Latet ſub velo panis
Et vini ſpecie.
2. Agnus Dei! qui deles
Mundi piacula,
Te Sacramento praebes
Amoris victima,
Mortales praesens pascat
Panis Angelicus,
Viator hinc recedat
Nullus famelicus.
3. O Chriſte ter amate!
Vitae in ultima
Hora: coeleſti dape
Famentes recrea;
Dispareat terror mortis
Sumpto viatico,
Edens transibit fortis
De mundo turbido,
4. Summi pignus amoris
O Jesu Domine!
Dans Te ſub vini, panis,
Deus! velamine,
Cor noſtrum Te collaudet
Pro Beneficio,
Quo vitam dari gaudet
Carentem termino.

Ad: Ite Missa est.

1. *Qui nunc intereramus*
Missae mysterio,
Te Deum obsecramus,
Nos benedicito:
Obsequium collatum
Clementer suscipe,
Da nobis Te placatum,
Nunquam nos desere.
2. *O Deus sancte, fortis!*
Hac die protege,
Ne hostis astu mortis
Mergat calligine,
A malo recedentes
Supremum Judicem
Sentire fac gaudentes
Patrem, non vindicem. Amen.

Hym-

Hymnus
de Venerabili Sacramento.

Adoro te devote, latens Deitas!
Quae ſub his figuris vere latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Viſus, tactus, guſtus in te fallitur,
Sed auditu ſolo tuto creditur;
Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat ſola Deitas,
At hic latet ſimul et humanitas,
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens,

Plagas ſicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi ſemper magis credere,
In te ſpem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus vitam praeſtans homini!
Praeſta meae menti de te vivere,
Et te illi ſemper dulce ſapere.

Pie Pelicane Jesu Domine!
Me immundum munda tuo ſanguine,
Cujus una ſtilla ſalvum facere,
Totum mundum quit ab omni ſcelere.

Jesu

Jesu quem velatum nunc aspicio!
Oro ſiat illud, quod tam ſitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu ſim beatus tuae gloriae. Amen.

Antiph. O Sacrum convivium! in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratia: et futurae nobis gloriae pignus datur. Alleluja.

℣. Panem de coelo praeſtitiſti eis Domine. Alleluja.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquiſti; tribue quaesumus; ita nos corporis, et ſanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, et regnas in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Al-

Alter.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda ducem et paſtorem
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude;
Quia major omni laude,
Nec laudare ſufficis.
Laudis thema ſpecialis,
Panis vivus et vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in ſacrae mensa coenae,
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, ſit ſonora,
Sit jucunda, ſit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim ſolemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
Hujus inſtitutio.
In hac mensa novis Regis
Novum Pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetuſtatem novitas,
Umbram fugat Veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
Quod in Carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmet fides,
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie,

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumtus consumitur.

Sumunt boni, ſumunt mali;
Sorte tamen inaequali,
Vitae, vel interitûs.
Mors eſt malis, vita bonis;
Vide paris ſumptionis
Quam ſit diſpar exitus.
Fractô demum Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei ſit ſciſſura,
Signi tantum ſit fractura,
Qua nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.
Ecce! panis Angelorum,
Factus cibus viatorum;
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris praeſignatur,
Cum Isaac immolatur,
Agnus Paſchae deputatur,
Datur manna Patribus.
Bone Paſtor! panis vere,
Jesu! noſtri miſerere,
Tu nos paſce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu,

Tu, qui cuncta ſcis, et vales,
Qui nos paſcis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et ſodales,
Fac ſanctorum Civium. Amen.

℣. Memoriam fecit mirabilium ſuorum misericors et miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus ſe.

Oremus.

Domine Jesu Chriſte! Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu S. per mortem tuam mundum vivificaſti, libera nos per tremendum Corporis, et ſanguinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus noſtris, et universis malis; et fac nos tuis ſemper inhaerere mandatis, et a te nunquam ſeparari permittas. Qui vivis et regnas in ſaecula. Amen.

Alter:

Pange lingua gloriosi corporis Myſte-
rium,
Sangvinisque pretiosi, quem in mundi
pretium,
Fructus ventris generosi, Rex effudit
gentium.

Nobis datus, nobis natus ex intacta Vir-
gine,
Et in mundo conversatus ſparso verbi
ſemine,
Sui moras incolatus miro clausit ordine.

In ſupremae nocte caenae recumbens cum
fratribus,
Observatâ lege plene, cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae, ſe dat ſuis
manibus.

Verbum caro panem verum verbo carnem
efficit,
Fitque ſangvis Chriſti merum, et ſi ſen-
sus deficit,
Ad firmandum cor ſincerum, ſola fides
ſufficit.

Tantum ergo Sacramentum veneremur
cernui,
Et antiquum documentum novo cedat
ritui,
Praeſtet fides ſupplementum ſensuum
defectui.

Ge-

Genitori, Genitoque, laus, et jubilatio.
Salus, honor, virtus quoque, sit et benedictio,
Procedenti ab utroque, compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem coeli dedit eis. Alleluja.
℟. Panem Angelorum manducat homo. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas, et praeceptis; perfice gressus nostros in semitis tuis; et charitatis tuae donum, quod fecisti a nobis sperari, per tuam clementiam efficaciter facias apprehendi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alter:

1. *Sacris solemniis juncta sint gaudia,*
Et ex praecordiis sonent praeconia:
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, et opera!
2. *Noctis recolitur coena novissima,*
Qua Christus creditur agnum, et azyma
Dedisse fratribus juxta legitima,
Priscis indulta patribus.

3. Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis:
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.
4. Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sangvinis poculum.
Dicens: accipite, quod trado vasculum:
Omnes ex eo bibite.
5. Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent caeteris.
6. Panis angelicus fit panis hominum:
Dat panis coelicus figuris terminum:
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, servus et humilis.
7. Te trina Deitas! unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus:
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.

Antiphona. O quam svavis est, Domine! Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane svavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

℣. Panem de coelo praestitisti eis Domine.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

Ore-

Oremus.

Deus! qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum; ut te in omnibus, et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus Nativitatis Christi.

Huc adeste, piae mentes!
Convolate cunctae gentes
Haec ad festa Domini.
Verbum namque incarnatum
Ab aeterno Patre satum,
Chorus poscit jubili.
Mira res! fit homo Deus,
Innocens pro reo reus,
Et se poenae subjicit.
Parens ipse aeternorum
Temporum, et saeculorum
Hic infantem induit.

Qui

Qui terrarum amplam molem,
Lunam, ſtellas, atque ſolem
Levi librat digito.
Coelum, orbis vaſtum mare
Quem haud volent coarctare,
Clauditur praesepio.
Mundi vita, et Salvator,
Lapsi orbis reſtaurator,
Fulcrum lux, et anima!
Orbi presso, et afflicto
Sub aeterno maledicto
Vera refers gaudia,
Dum in cunis infans ploras,
Moeſtas nobis ſaltis horas
Ex antiquo vulnere;
Namque ſic dum fles, et vagis,
Luctum noſtrum procul agis,
Et ſiſtuntur lacrymae.
Fremit tota mille diris
Suis ſe convolvens ſpiris
Infernalis beſtia.
Sed jam altum obmutescit,
Et prae irâ contabescit
Ab infante ſaucia.
Jacet hoſtis debellatus,
In praesepi jam ligatus
Firmis jacet fasciis.

Sed praeclara haec trophaea,
Quae ſunt tua, ſunt et mea,
Hinc ſum liber vinculis.
Flos ex Jesse, flos pergrate!
Ab aeternâ ſtirpe nate!
Florum princeps omnium;
Odor tuus faedam tabem,
Et peccati ſanat labem,
Culpae difflat toxicum;
Sic dum pauper, et abjectus
Paleis vix bene tectus
Alges in praesepio,
Tua tectus nuditate,
Tua dives paupertate,
Quidquid optem, habeo.
Prensans ſugis plena lacte
Pulchrae matris, et intactae
Caſta ſemper ubera;
Sed hoc ipso demonſtratur,
Et jam nobis praeparatur
Via coeli lactea.
Hem! tot opportuna bona,
Totque nobis coeli dona
Fers divine Pusio!
Mentis plane ſim ingratae,
Ni pro tantâ bonitate
Grates dignas refero.

En cor meum, ſi quid valet,
Dum amore tui calet,
Tuum ſit praesepium.
Tibi meo hoc dilecto
Serviat pro molli lecto,
Dum emittam ſpiritum.

Antiphona. Hodie Chriſtus natus eſt, hodie Salvator apparuit: hodie in terra canunt Angeli: laetantur Archangeli, hodie exultant juſti dicentes: Gloria in excelsis Deo. Alleluja.

℣. Verbum caro factum eſt. Alleluja.

℟. Et habitavit in nobis. Alleluja.

Oremus.

Concede quaesumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hym-

Hymnus de Jesu.

Jesu! flos Virginis, Jesu! Rex optime,
Amor dulcedinis divinae gloriae:
Summa benignitas, cordis jucunditas,
Tua nos stringit charitas.
Jesu! serenior sole purpureo,
Balsamo svavior, et dulcior favo:
Hic amor coelicus haeret medullitus,
Mentem incendit penitus.
Jesu! dilectio tua, est gloria,
Mentis refectio, coelestis patria:
Quum loqui nequeam, ut tamen sileam,
Amor facit, ut audeam.
Te Sancti praedicant per regna coelica,
Et laudes replicant per cuncta sydera:
Largitor veniae, tu lumen gratiae,
Pelle nubem tristitiae.
Nil cano svavius, quam cantum ad Deum,
Nil puto dulcius, quam Dei filium:
Nec potest dicere, lingva exprimere,
Quid sit Jesum diligere.
Coelites! plaudite, et mentes hominum,
Ave, Rex inclyte! dicite ad Jesum:
Christum diligite, amorem reddite,
Et vota votis addite.
Jesu! dum venies tua in gloria,
Laetos nos facies cum tua patria:
Oramus precibus, ut nos coelestibus
Tecum colloces sedibus.

Al-

Hymnus in novo Anno.

Jesu! Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Pater paternae gloriae
Pater ſupremus edidit.
Tu lumen, et ſplendor Patris,
Tu ſpes perennis omnium,
Intende, quas fundunt preces,
Tui per orbem ſervuli.
Memento, rerum conditor!
Noſtri quod olim corporis
Sacrata ab alvo virginis
Naſcendo formam ſumpseris.
Teſtatur hoc praesens dies,
Currens per anni circulum,
Quod ſolus e ſinu Patris
Mundi ſalus adveneris.
Nunc aſtra, tellus, aequora,
Hunc omne, quod coelo ſubeſt,
Salutis Auctorem novae
Novo ſalutat cantico.
Et nos, beata quos ſacri
Rigavit unda ſangvinis,
Natalis ob diem tui,
Hymni tributum ſolvimus.

Je-

Jesu! tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo ſpiritu,
In ſempiterna ſaecula. Amen.

Antiphona. Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus, Filium ſuum misit in ſimilitudinem carnis peccati. Alleluja.

℣. Notum fecit Dominus. Alleluja.

℟. Salutare ſuum. Alleluja.

Oremus.

Deus! qui unigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussiſti, concede propitius, ut cujus ſanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in coelis. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Al-

Alter:

Jesu! dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia;
Sed ſuper mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.
Nil canitur ſvavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei Filius.
Nec lingva valet dicere,
Nec littera exprimere;
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Jesum diligere.
Cum Mariá diluculo,
Jesum quaeram in tumulo:
Clamore cordis querulo
Mente quaeram, non oculo.
Tumbam perſundam ſletibus,
Locum replens gemitibus:
Jesu provolvar pedibus,
Strictis haerens amplexibus.
Amor Jesu dulcissimus,
Et vere ſuavissimus,
Plus millies gratissimus
Quam dicere ſufficimus.

Hoc

Hoc probat ejus passio,
Hoc ſangvinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, et Dei visio,
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Cum digne loqui nequeam,
De te tamen ne ſileam,
Amor facit ut audeam;
Cum de te ſolo gaudeam.
Tua Jesu! dilectio,
Grata mentis refectio;
Replens ſine faſtidio,
Dans famem desiderio.
Qui te guſtant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc ſitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Jesus ſapiat:
Quam felix eſt, quem ſatiat
Non eſt ultra, quod cupiat.
Desidero te millies,
Mi Jesu! quando venies!
Me

Me laetum quando facies?
Me de te fiat faties:
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus:
Mihi fructus mellifluus
Est, et vitae perpetuus.
Jesu! summa benignitas,
Mihi cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quae vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula
Sed in his parva morula.
Jam, quod quaesivi video:
Quod concupivi teneo:
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,
Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit, et accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat et feliciter.

Hic

Hic amor missus coelitus
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur ſpiritus.
O beatum incendium!
Et ardens deſiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!
Jesu! flos Matris Virginis,
Amor noſtrae dulcedinus,
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Pater immensae gloriae,
Affulge menti clarius,
Jam expectate ſaepius.
Jesu! ſole ſerenior,
Et balsamo ſuavior,
Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior.
Cujus guſtus ſic afficit,
Cujus odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consumatio,

Tu

Tu mea gloriatio
Jesu! mundi ſalvatio.
Mi dilecte! revertere,
Consors paternae dexterae;
Hoſtem viciſti prospere,
Jam coeli regno fruere,
Sequar te, quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abſtuleris,
Salus o noſtri generis!
Coeli cives occurrite,
Portas veſtras attollite,
Triumphatori dicite:
Ave Jesu Jex inclyte!
Rex virtutum: Rex gloriae,
Rex insignis victoriae,
Jesu! largitor veniae,
Honor coeleſtis patriae.
Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen Patriae,
Pelle nubem triſtitiae,
Dans nobis lucem gloriae.
Te coeli chorus praedicat,
Et tuas laudes replicat,
Jesus orbem laetificat,
Et nos Deo pacificat.

Je-

Jesus in pace imperat,
Quae omnem ſensum ſuperat,
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.
Jesus ad Patrem rediit,
Coeleſte regnum ſubiit,
Cor meum a me transiit,
Poſt Jesum ſimul abiit,
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, et precibus,
Ut nobis det coeleſtibus,
Secum locari ſedibus.

Antiphona, Nec enim aliud nomen eſt ſub coelo datum hominibus, in quo oportet nos ſalvos fieri.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in ſaeculum.

Oremus.

Deus virtutum! cujus eſt totum, quod eſt optimum, insere pectoribus noſtris amorem tui Nominis, et

et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Qui vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Alter de Christo patiente.

O mi Jesu! quos dolores
Passus es, quae taedia!
Exhausisti quot labores,
Quot pro me ludibria!
Tam profusae Charitati
Quem amorem reddidi?
Me, proh pudor! vanitati,
Te relicto, tradidi.
Flectis genu oraturus
Pro rebelli homine;
Quae deliqui, piaturus,
Tristi manas sanguine,
At cruore emundatam
Foedo rursus animam:
Et dum cerno inquinatam,
Vix effundo lacrymam.
Cerno vinctum, ac haerentem
Diro Jesum stipiti:

Post

Post flagella impendentem,
Sacro spinam capiti,
Corpus tamen periturum
Lectis pasco dapibus:
Mire tortis, fors ausurum
Caput orno crinibus,
A Judaeis accusatus
Barabbae postponeris,
A Pilato condemnatus,
Ab Herode sperneris.
Te despecto honorari
Stultus ego cupio,
Et vel falsa praedicari
De me lubens audio.
Flete, Coeli! cruce gravis
Ire Jesus cogitur,
Author vitae fixus clavis,
O dolor! emoritur,
Vale, Munde! patientem
Jesum sequar, patiar
Jesum sequar morientem,
Et peccatis moriar.

De Sanctissima Eucharistia.

1. *Bone Deus! amor meus!*
Toto corde amo Te,
Amo,

Amo, quia tu es Deus,
Et amore omni dignus,
Quia vis a me amari,
Me totum tibi donari,
Bone Deus! amor meus,
Toto corde amo te.
2. *Bone Deus! amor meus!*
Toto corde amo te.
Ex amore pœnitet me,
Quod tam ſaepe ſpreverim te,
Non propter me, ſed propter te,
Gemo, quod offenderim te,
Bone Deus! amor meus,
Toto corde amo te.
3. *Ah quid feci? o Deus mi!*
Dum peccando ſprevi Te,
Summum bonum dereliqui,
Summo malo me addixi,
Grande crimen hoc fateor,
Sed respisce flentem, precor.
Ah quid feci? o Deus mi!
Dum precando ſprevi te.
4. *Parce mihi, Peccatori,*
Et a malo munda me,
Nam deinceps malo mori,
Quam peccato inquinari,

Ama-

Amabo te, et propter te,
A malo continebo me.
Parce mihi, Peccatori,
Et a malo munda me.
5. *Malo mori, quam fœdari,*
O Creator optime!
Creasti me, ut amem te,
Et aeternum perfruar te,
En! nunc cœpi amare te,
O! si semper amassem te,
Malo mori, &c.
6. *O mi Jesu! Dulcis Jesu!*
Toto corde amo te,
Nam tu prius me amasti,
Dum te pro me tradidisti,
Respice me pœnitentem,
Et qua licet redamantem,
O mi Jesu! &c.
7. *O mi Jesu! dulcis Jesu!*
Toto corde amo te,
Quidquid egi, ne attende,
Quod sim tuus, hoc expende,
Jam me tibi consecrabo,
Spem totam in te locabo,
O mi Jesu! &c.

8. *Ma-*

8. *Malo mori, quam peccare,*
Redemptor dulcissime.
Nam qui peccat, Christum fugat,
Se amore ejus privat,
Admitte me, dum coram te,
O Christe! flentem sisto me.
Malo mori, &c.

9. *Malo mori, quam non tibi*
Christe me totum dare.
Qui in cibum ad altare,
Donasti mihi totum te,
En! totum me do propter te,
Qui das totum te propter me.
Malo mori, &c.

Hymnus Christi patientis.

Patris sapientia, veritas Divina,
Deus homo captus est hora matutina,
A notis discipulis cito derelictus,
A Judaeis traditus, venditus, afflictus.
Hora nona Dominum ducunt ad Pilatum,
Et a falsis testibus multum accusatum,
Colaphis percutiunt manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli gratum.
Crucifige! clamitant hora tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum,

Ca-

Caput ejus pungitur corona ſpinarum,
Crucem portat humeris ad locum poenarum.

Hora ſexta Jesus eſt cruci acclavatus,
Et cum latronibus pendens deputatus,
Prae tormentis ſitiens, felle ſaturatus,
Agnus crimen diluens ſic ludificatus.

Hora nona Dominus Jesus exſpiravit:
Eli! clamans Spiritum Patri commendavit,
Latus ejus lancea miles perforavit:
Terra tunc contremuit, et sol obscuravit.

De cruce deponitur hora vespertina:
Fortitudo latuit in mente divina:
Talem mortem ſubiit vitae medicina,
Heu! corona gloriae jacuit ſupina.

Hora Completorii datur sepulturae
Corpus Chriſti nobile, ſpes vitae futurae;
Conditur aromate, complentur ſcripturae.
Jugis ſit memoria mortis ſuae durae.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi Chriſte! recolo pia ratione,
Ut, qui pro me passus es, Jesu Redemptor bone!
Sis mihi ſolatium mortis in agone, Amen.

Alter:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae,
Mucrone diro criminum,
Ut nos lavaret ſordibus,
Manavit unda, et ſanguine.
Impleta ſunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus,
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora, et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electo digna ſtipite
Tam ſancta membra tangere
Beata! cujus brachiis
Pretium pependit ſaeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.
O crux! ave ſpes unica!
Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina,
Te, fons ſalutis, Trinitas!
Collaudet omnis ſpiritus,
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium.
Amen.

An-

Antiphona. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte: ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus?

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem noſtrum carnem ſumere, et crucem ſubire feciſti, concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem C. D. N. Amen.

Hymnus de S. Spiritu.

Veni, Sancte Spiritus!
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum!
Veni, dator munerum!
Veni, lumen cordium.
Consolator optime!
Dulcis hospes animae!
Dulce refrigerium!
In labore requies,
In aeſtu temperies,
In fletu ſolatium.
O Lux beatissima!
Reple cordis intima
Tuorum fidelium,
Sine tuo Numine
Nihil eſt in homine,
Nihil eſt innoxium.
Lava, quod eſt ſordidum,
Riga, quod eſt aridum,
Sana, quod eſt ſaucium.
Flecte, quod eſt rigidum,
Fove, quod eſt frigidum,
Rege, quod eſt devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum ſeptenarium.
Da virtutis meritum,
Da ſalutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Antiphona. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus! qui corda fidelium S. Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, et de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ure igne S. Spiritus renes noſtros, et cor noſtrum Domine; ut tibi caſto corpore ſerviamus, et mundo corde placeamus.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus S. quae et corda noſtra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adverſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hym-

Hymni de B. V. M.

De Immaculata Conceptione B. V. M.

Salve Virgo florens!
Mater illibata!
Regina Clementiae
Stellis coronata.
Salve plena gratiâ
Clara lux divina!
Mundi in auxilium
Domina festina.
Ab omni contagio
Mundi praeservata;
Ante sancta, in utero
Parentis quam nata.
Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput, pulchra ut luna;
Errantes collustrat.
Decebat tam nobilem
Natum praecavere,

Ab

Ab originali
Labe matris Hevae
Almam, quam elegerat,
Genitricem vere
Nulli prorsus ſinens
Culpae ſubjacere.
Supra omnes Angelos
Pura immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veſte deaurata
Per te, Mater gratiae!
Dulcis ſpes reorum!
Fulgens ſtella maris!
Portus naufragorum!
Patens coeli janua!
Salus infirmorum!
Videamus Regem
In aula ſanctorum. Amen.

Antiphona. Haec eſt virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. Tota pulchra es, amica mea!

℟. Et macula originalis non fuit in te.

Ore-

Oremus.

Deus! qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum N. Amen.

De Nativitate B. M. V.

Ave mundi spes, Maria!
Ave mitis, ave pia,
Ave charitate plena,
Virgo dulcis, et serena!
Sancta parens Jesu Christi,
Electa sola fuisti,
Esse Mater sine viro,
Et lactare more miro.
Angelorum Imperatrix!
Peccatorum consolatrix!
Consolare me lugentem,
In peccatis jam foetentem.

Pre-

Precor te, Regina coeli!
Corde pio, et ſideli,
Me habeto excuſatum
Apud Chriſtum tuum natum.
Nam peccavi illi ſoli,
O Maria Virgo! noli
Eſſe mihi aliena
Gratiá coeleſti plena.
Eſto cuſtos cordis mei,
Signa me timore Dei,
Da peccata me vitare,
Et quod juſtum eſt, amare.
Da ſpem ſirmam, ſidem rectam,
Charitatemque perſectam,
Da, da, Virgo! ſinem bo-
num,
Quod eſt ſuper omne donum.
Eja roſa ſine ſpina,
Peccatorum medicina,
Pro me natum interpella,
Ut me ſalvet a procella,
Hujus mundi tam immundi,
Cujus ſluctus ſuribundi
Omni parte me impingunt,
Et peccati zona ſtringunt,

Mi-

Miserere, miserere
Miseratrix nam es vere,
Miserere miseratrix,
Orphanorum mediatrix!
Ut, dum inſtat hora mortis,
Adsis mihi Virgo fortis,
Adsis mihi, Virgo! cuſtos,
Et me loces inter juſtos.
Amen.

Antiphona. Nativitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo, ex te enim ortus eſt ſol juſtitiae, Chriſtus Deus noſter: qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam.

℣. Nativitas eſt hodie S. Mariae Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Ecclesias.

Oremus.

Unigeniti tui, Domine! nobis succurrat humanitas: ut, qui natus

tus de Virgine, matris integritatem non minuit, ſed ſacravit, in Nativitatis ejus ſolemniis, noſtris nos piaculis exuens, oblationem noſtram tibi faciat acceptam Jesus Chriſtus Dominus noſter, qui tecum vivit in ſaecula ſaeculorum. Amen.

De venerando Nomine Mariae.

Maria! guſtum ſentio,
Quando tui ſit mentio,
Opinor hoc vocabulum
Amoris esse pabulum.
Lac; et mel eſt haec vocula,
Fluunt amoris pocula,
Maria! quinque litteris
In cor meum dum mitteris,
Per labra nectar bibitur,
Cordique vox alliditur,
Hinc cordis in cavernula
Auditur Echo ternula.
Meum cor eſt triangulum,
Maria! quemvis angulum
Tan-

Tangit tui dilectio,
Ubique ſit reflexio.
Cordis mei pars extera,
Siniſtra pars, et dextera,
Et ſumma pars, et infima,
Pars ipsa cordis intima.
Dum te loquuntur ſiugulae,
Et ſunt amoris liugvulae,
Amando te ſe dedicant,
Dicando ſe te praedicant.
Maria! ſi te praedico,
Maria! ſi me dedico,
Et ſi tibi cor praebeo,
Mariam amare debeo.
Cum nomen hoc reduplico,
Maria! amari ſupplico,
Ut me tibi despondeas,
Amare me respondeas.
Si Virgo! mecum vixeris,
Si cor meum ſuccenderis,
Amore factus ebrius
Dicam Mariam crebrius.
Non frangar asvetudine.
Nullave lassitudine;
Nam cum tui ſit mentio,
Maria! guſtum ſentio.

An-

Antiphona. Sancta Maria ſuccurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, intercede pro clero, interveni pro devoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tui Sancti Nominis commemorationem.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus! ut fideles tui, qui ſub ſanctissimae Virginis Mariae Nomine, et protectione laetantur ejus pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in cœlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

In

In Purificatione.

Omni die dic Mariae
Laudes mea, anima!
Ejus gesta, ejus festa
Cole devotissima.
Contemplare, et mirare
Ejus celsitudinem:
Dic felicem genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet:
Hanc apella, ne procella
Vitiorum superet.
Haec persona nobis dona
Contulit coelestia:
Haec Regina nos divina
Illustravit gratia.
Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae;
Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginae
Mundi laudum cantica:
Ejus dona semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes

Omnes mei ſensus ei
Personate gloriam:
Frequentate tam beatae,
Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertae
Extat eloquentiae,
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiae.
Omnes laudent, unde gaudent,
Matrem Dei Virginem:
Nullus ſingat, quod attingat
Ejus celsitudinem.
Sed necesse (quod prodesse
Piis conſtat mentibus)
Ut intendam, quod impendam
Me ipsius laudibus.
Quamvis ſciam, quod Mariam
Nemo digne praedicet,
Tamen vanus et insanus
Eſt, qui illam reticet;
Cujus vita erudita
Disciplina coelica,
Argumenta et ſigmenta
Deſtruxit haeretica.
Hujus mores, tanquam ſlores,
Exornant Ecclesiam;
Actio-

Actionis, et ſermonis
Miram praeſtant gratiam.
Evae crimen nobis limen
Paradisi clauserat:
Haec, dum credit, et obedit,
Coeli clauſtra reserat.
Propter Evam homo ſaevam
Accepit ſententiam:
Per Mariam habet viam,
Quae ducit ad patriam.
Haec amanda, et laudanda
Cunctis ſpecialiter:
Venerari, praedicari
Illam decet jugiter.
Ipsa donet, ut, quod monet
Natus ejus, faciam,
Ut finita carnis vita
Laetus hunc adspiciam,
O cunctarum foeminarum
Decus, atque gloria!
Quam electam, et evectam
Scimus ſuper omnia.
Clemens audi, tuae laudi
Quos inſtantes conspicis:
Munda reos, et fac eos
Donis dignos coelicis.

Vir-

Virga Jesse! ſpes oppressae
Mentis, et refugium!
Decus mundi, lux profundi!
Domini ſacrarium!
Vitae forma, morum norma,
Plenitudo gratiae,
Dei templum, et exemplum
Totius juſtitiae!
Virgo! ſalve, per quam valvae
Coeli patent miseris,
Quam non flexit, et allexit
Fraus ſerpentis veteris.
Generosa, et formosa
David Regis filia!
Quam elegit Rex, qui regit,
Et creavit omnia.
Gemma decens, rosa recens,
Caſtitatis lilium!
Caſtum chorum ad polorum
Quae perducis gaudium.
Actionis, et ſermonis
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum
Laudes promam ſtrenue.
Opto nimis, ut inprimis
Mihi des memoriam,

Qua

Qua decenter et ſequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta et polluta
Mea ſciam labia,
Praesumendum, nec ſilendum
Eſt de tua gloria.
Virgo! gaude omni laude
Digna et praeconio,
Quae damnatis libertatis
Facta es occasio.
Semper munda, et foecunda
Virgo! tu puerpera:
Mater alma! velut palma
Florens, et fructifera,
Cujus flore, et odore
Recreari cupimus,
Cujus fructu nos a luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota ſine notâ
Cujuscunque maculae,
Fac nos mundos, et jucundos
Te laudare ſedule.
O Beata! per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta ſide certa
Regna ſunt coeleſtia.

Per

Per te mundus laetabundus
Novo ſulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes ſunt egentes,
Sicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia:
Doctrinarum perversarum
Pulsa ſunt praeſtigia.
Mundi luxus, atque fluxus
Docuiſti ſpernere:
Deum quaeri, carnem teri,
Vitiis resiſtere,
Mentis cursum tendi ſursum
Pietatis ſtudio:
Corpus angi, motus frangi
Pro coeleſti proemio.
Tu portaſti intra caſti
Ventris clauſtra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans priſtinum.
Mater facta ſed intacta
Genuiſti Filium,

Re-

Regem regum, atque rerum
Creatorem omnium,
Benedicta! per quam victa
Hoſtis eſt verſutia:
Deſtitutis ſpe ſalutis
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus.
Cujus Mater crederis,
Increatus ex te natus.
Noſtri ſalus generis.
Reparatrix, conſolatrix
Deſperantis animae,
A preſſura, quae ventura
Malis eſt, nos redime
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar;
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar,
Quod requiro, quod ſuspiro,
Mea ſana vulnera,
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera;
Ut ſim caſtus, et modeſtus
Dulcis, blandus, ſobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius:

Eru-

Eruditus, et munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus, et ornatus
Sacris exercitiis
Conſtans, gravis atque ſuauis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus,
Patiens, et humilis,
Corde prudens, ore ſtudens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio ſemper opere.
Eſto tutrix, et adjutrix
Chriſtiani Populi!
Pacem praeſta, ne moleſta
Nos perturbent ſaecula,
Salutaris ſtella maris,
Summis digna laudibus,
Quae praecellis cunctis ſtellis
Atque luminaribus,
Tua dulci preoe fulci
Supplices, et refove:
Quidquid gravat, vel depravat
Mentes noſtras, remove!
Virgo! gaude, quod de fraude
Daemonum nos liberas,
Dum

Dum in vera, et ſincera
Carne Deum generas.
Illibata, et dotata
Coeleſti progenie,
Gravidata, nec fraudata
Flore pudicitiae,
Nam quod eras, perseveras,
Dum intacta generas,
Illum tractans, atque lactans,
Per quem facta fueras.
Commendare me dignare
Chriſto tuo Filio,
Ut non cadam, ſed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam,
Contra crimen da munimen,
Et mentis conſtantiam.
Non me liget, nec fatiget
Saeculi cupiditas,
Quae indurat, et obscurat
Mentes ſibi ſubditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quae multorum ſit malorum
Frequenter occasio.

Ora

Ora Deum, ut cor meum
Sua ſervet gratia,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania,
Da levamen, et juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua feſta ſive geſta
Qui colunt alacriter.
O Maria! Virgo pia,
Mater admirabilis:
Per te Deus, judex meus
Mihi ſit placabilis.
O benigna, vere digna
Multis amatoribus,
In agone fer coronae
Praemium victoribus.

Antiphona. Spiritus S. in te descendet Maria et virtus Altissimi obumbrabit tibi.
℣. Ave Maria! gratia plena.
℟. Dominus tecum.

Oremus.

Deus! qui de Beatae Mariae Virginis utero verbum tuum Angelo nun-

nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti, praeſta ſupplicibus tuis, ut, qui vere eam Dei Genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Planctus doloroſæ Matris MARIAE.

Stabat Mater doloroſa
Juxta crucem lacrimoſa,
Dum pendebat Filius,
Cujus animam gementem,
Contriſtatam, et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam triſtis, et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quae maerebat, et dolebat
Pia Mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?

Quis

Quis non posset contriſtari
Chriſti Matrem contemplari
Dolentem cum filio?
Pro peccatis ſuae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis ſubditum;
Vidit ſuum dulcem natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam!

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Chriſtum Deum,
Ut illi complaceam!

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero;

Juxta crucem tecum ſtare,
Et me tibi ſociare
In planctu deſidero.
Virgo Virginum praeclara
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere:
Fac, ut portem Chriſti mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere!
Fac me plagis vulnerari,
Cruce fac inebriari,
Et cruore Filii!
Orci flammis ne ſuccendar,
Per te Virgo fac defendar
In die judicii!
Fac me cruce cuſtodiri
Morte Chriſti praemuniri,
Et foveri gratia!
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria! Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit;

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Ore-

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine Jesu Christe! nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam B. V. Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius pertransivit. Per te Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum, Amen.

De Assumptione B. M. V.

O! Gloriosa Virginum!
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactante nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent ut astra flebiles,
Coeli recludis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptae! plaudite.

Jesu! tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In ſempiterna ſaecula. Amen.

Antiphona. Assumpta eſt Maria in coelum, gaudent Angeli, collaudantes benedicunt Dominum, Alleluja.

℣. Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cœleſtia regna.

Oremus.

Subveniat, Domine! plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in coeleſti gloria apud te pro nobis intercedere ſentiamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Affectus pii in B. V. M.

Ave! maris ſtella! Dei Mater alma, atque ſemper Virgo, felix cœli porta.

Sumens illud Ave, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evae nomen.

Solve vincla reis, profer lumen caecis, mala noſtra pelle, bona cuncta posce.

Monſtra te esse Matrem; ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.

Virgo ſingularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos mites fac, et caſtos.

Vitam praeſta puram, iter para tutum, ut videntes Jesum, ſemper collaetemur.

Sit laus Deo Patri, ſummo Chriſto decus, Spiritui Sancto, tribus honor unus.

℣. Ora pro nobis S. Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Chriſti.

Ore-

Oremus.

Concede nos quaesumus, omnipotens Deus! perpetua mentis et corporis ſanitate gaudere, et intercessione B. Mariae ſemper Virginis a praesenti liberari triſtitia et aeterna perfrui laetitia per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Alter:

O Virgo Virginum! tu mea lux,
Tu mea Mater es, poſt Deum
ſola ſpes,
Et viae Dux:
Tu ſinum aperis precantibus,
Tu moeſtos erigis, ac opem porrigis,
Clamantibus.
Me ſemper gremio tu protegis:
Quamvis ſim impius, in Matrem
filius,
Me ſuscipis:
Quae natos genitrix ſic diligit?
Ut par ſit pietas, in Matrem charitas
Haec exigit. Ah!

Ah! impudentiam confiteor,
Dum me tam impium. Mariae
filium
Profiteor:
Dura necessitas, amoris vis,
Me cogunt omnibus testari viri-
bus,
Quod Mater sis,
Sed quid affectui rependimus?
Non sunt pro gratia, condigna
praemia,
Dum vivimus:
Mater! exiguum jam respice
Munus, quod offero, laudes, quas
concino,
Ne despice.
Ad Matris gratiae obsequium,
En! totum consecro, Mariae of-
fero
Me filium:
Cor, corpus, omnia, quae mea
sunt,
In ara colloco, Mariae dedico
Jam tua sunt.

Ore.

Oremus.

O Sancta Maria Mater Dei! tu es Mater omnipotentis Dei! tu es ſponsa Chriſti Jesu! ornamentum ſancti et coeleſtis Paradisi! ſancta Maria! tu es ſpeculum ſanctitatis Dei: et Mater Jesu Chriſti! humillime te oro, ut per tuam intercessionem impetres mihi apud Filium tuum remissionem omnium peccatorum meorum. Tu liberes me ab omni periculo mundi, diaboli et carnis. Da mihi tuam gratiam et auxilium! O Mater Dei! per ſummam bonitatem Filii tui non derelinquas me: oſtende ſervo tuo donum gratiae tuae, ut firmatus in vera fide merear poſt hanc vitam tecum regnare in aeterno regno gratiae et magnificentiae. Amen.

Cul-

Cultus Sanctorum.

Hymnus de S. Josepho.

Salve! Pater Salvatoris,
Salve! Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis!
Salve Sponse Matris Dei,
Salve hospes Jesu mei,
Joseph ter mirabilis.
Dulces cunae, dulces panni,
Dulces dies, dulces anni,
Dum nutristi Dominum.
O! quam fuit admiranda,
Tua vita veneranda,
Habens Dei Filium.
Jesum oculis vidisti,
Et in brachiis tulisti,
O suavis felicitas!
Genis genas admovisti,
Oscula dans accepisti,
O felix suavitas!
Modo Deum appellasti,
Modo regem nominasti,
Inter mille gaudia:

Modo Patrem adorandum
Modo natum adamandum,
Inter mille basia,
Jesum brachiis tenere,
Atque totum possidere,
O quantae divitiae!
Cum Maria conversari,
Dei natum amplexari,
O quantae deliciae!
Quis eſt homo, qui amare,
Atque Jesulum portare
Nollet ſuis brachiis?
Nullus eſt, qui non ambiret,
Et qui cunas non adiret
Pro tantis deliciis.
O mi Joseph! plus amande,
Et prae cunctis honorande,
O flos pudicitiae!
Tibi tanta ſors eſt data,
Quanta nulli eſt collata
Ab auctore gratiae.
O felicem et beatum!
Cuſtodiri cui eſt datum
Tuo ſub praesidio;
Et qui meruit habere
Te Patronum, et gaudere
Tuo Patrocinio!

Per Mariae tuae Matris
Preces, et Josephi Patris,
Jesu! tu nos adjuva:
Ut possimus te videre,
Et aeternum possidere
In coelesti patria, Amen.

℣. Valde honorandus et amandus est beatus Josephus.

℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Josephum, justum Filium David, beatissimae Virgini Mariae, Sponsum providisti, et Filio tuo Jesu Christo nutritium elegisti; da quaesumus, ut ejus precibus, et meritis, tranquilla pace laetemur, et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ora-

Oratio ad S. Joannem Nepomucenum.

Sancte Joannes Martyr ac Patrone! Nepomuci in Bohemia oriunde, Templi S. Viti, in Arce Pragensi Canonice, eo quod ad instantiam Wenceslai IV. Regis, (ulcisci de conjuge, saepe illum de vita corrigenda monente, volentis) ante et post torturam, Confessionem Augustae propalare recusavisti, in flumen Moldavam, ex ponte praecipitatus, a luminibus, noctu supra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certissimis tuae innocentiae et sanctitatis testibus, ostensus, solemniter ab universo Clero ac populo, ad Cathedrale Templum deportatus fuisti, ubi usque hodie, qui tuum sepulchrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non solent. Tu ergo admirandam, inauditam ac sempiternam memoriam secreti Exomologeseos post te reliquisti, per haec tua

tua merita et dona divinitus tibi concessa, precamur suppliciter ac fiducialiter, apud Omnipotentem Deum eam nobis impetra gratiam, ut ira ejus conquiescat, peccatorum poenas, uti pestem, bellum, famem, aliasque tam corporis, quam animae plagas clementer avertat, et ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis satisfacere, omne periculum et saeculi dedecus, hominum scandalum effugere, Deo placere, et adhaerere, vitam laudabiliter concludere, et ad vitam aeternam pervenire possimus. Per Jesum Christum Dominum ac Salvatorem nostrum. Amen.

Oratio brevior.

Sancte Joannes Martyr, ac Patrone gratiosissime! qui admirandam, ac sempiternam memoriam secreti Exomologeseos post te reliquisti: per tua te merita, et dona divinitus tibi concassa precor suppliciter; impetra mihi clienti tuo a

Deo

Deo lingvam moderandi gratiam, ne unquam declinet cor meum in verba malitiae: ſemper valide, et fructuose exequar Sacramentum poenitentiae: exora mihi, o S. Patrone! ſpiritum verae, et rigidae poenitentiae, quo in praesenti vita pro reatibus meis divinae juſtitiae debite ſatisfaciam: omne dedecus, ſcandalum, et offenſionem populi devitem, Deo beneplacite vivam: in Dei optimi gratia, perseverantia finali donatus, tecum aeternae beatitudinis bravium obtineam. Amen.

Hymnus de S. Aloysio.

Coeleſte lilium miri candoris,
Intacti pretium ſervans pudoris,
Caſtarum mentium grande prodigium
O Aloysi!
Tende clientibus, te invocantibus,
Dextram in ſingulis periculis.
Quid temet verberas? quod geris bellum!
Quid flagris vulneras corpus tenellum?
Piare ſcelera, pudoris vulnera
Noſtri doces:
Nam ut rosa ſpinis ſic mens caſta poenis
Tuta defenditur, nec laeditur.

Ah! quid non imitor te innocentem,
Vitam non meditor cur poenitentem?
Ora pro me Deum, te exemplar meum
Posthac sequar:
Ut si non innocens sim verus poenitens,
Peccata lugeam, et fugiam.
Mores non integros vere deponam,
Affectus liberos sub foenum cogam,
Vivam uni Deo, ponam voto meo
Hunc terminum;
Laudes sic concinam, quam diu animam
Necesse cedere sit corpore.

Hymnus S. Catharinae V. et M.

Ave Virgo Catharina:
Ave Martyr, et Regina,
Ave sponsa Christi vera:
Ave mitis, et sincera.
O Beata Catharina!
Babylonis de sentina,
Juva rapi me clientem:
Christo praesta servientem,
Superare juva mundum:
Ne demergar in profundum,
Ne permittar naufragari:
In peccatis in hoc mari.

O

O tu Virgo Deo digna!
Christo prece me consigna,
Preces audi juva votum:
Cor in bono sit immotum.
Cum postrema venit hora,
Adsis Virgo tunc decora,
Ne me duplex mors infestet:
Jesus Christus illud praestet.

Antiphona. Haec est Virgo sapiens, et una de numero prudentum, quam Dominus vigilantem invenit.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospera, procede, et regna.

Oremus.

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai, et in eodem loco per S. Angelos tuos Corpus B. Catharinae V. et Martyris mirabiliter collocasti: praesta quaesumus; ut ejus meritis, et intercessione ad montem, qui Christus

ſtus eſt, pervenire valeamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

O! S. Catharina Virgo, et Martyr glorioſa! Chriſti ſponsa fideliſsima! te rogo per illas gratias, et favores ſpeciales, quibus te praevenit dilectissimus ſponsus tuus Jesus, ut ſuperatis tyranni lenociniis, ſapientia tua quinquaginta vinceres Philoſophos, eosque coeleſti imbutos doctrina, ad verae fidei lumen perduceres: impetra mihi quoque coeleſtem in agendis ſapientiam, qua devictis infernalis tyranni fraudibus, mundi, carnis, et amoris proprii ſpretis blandimentis, omnem averser mollis vitae appetentiam, periculosa mulierum consortia exhorream; perfecte mortificatis ſensibus, et pravis affectibus, aptum divinae gloriae, et animarum ſalutis exoperandae inſtrumentum me exhibeam, tandemque tuo etiam ſuffragante patrocinio aeternae felicitatis beato merear praemio. Amen.

De S. Catharina.

Gaude, Virgo Catharina!
Mentis clara dotibus:
Quam refecit lux divina
Ter quaternis noctibus:
Gaude, tua quod doctrina
Philosophos a ruina
Traxit, et erroribus.
Gaude, quia meruisti
Sapiendo penitus
Confortari voce Christi
Per preces divinitus.
Gaude, quia convertisti
Sponsam Regis, et vidisti
Rotas fractas coelitus.
Fac, amanda Salvatoris
Sponsa! quaequae supplices
Instituta Creatoris
Observare juvenes:
En flectentes te oramus,
Et petentes te vocamus,
Virgo! in auxilium.
Es medella infirmorum,
Nos aerumnis libera:
Es Patrona Studiorum,
Nos clientes adjuva:

Esto nobis advocata,
Apud Deum Virgo grata,
Nostro in certamine.
Veneranda, ne clientes
Virgo! tuos despice:
Pressas mundi malis mentes
Ope tua refice:
Nos, beata Catharina!
Superorum fac divina
Praemuniri gratia.
Mortis metu conturbamur,
Pete reis veniam:
Mundi curis implicamur,
Voca nos in patriam:
Ut ibidem te videre,
Una tecum congaudere
Possimus in gloria.

Affectus Poenitentis.

Confusus haereo, dum Jesu! video
Te agonizantem, una exspirantem
Pro me misero:
Tremor me invadit, et paveo,
Qui rursum peccata non caveo,
Quando patientem
Video pendentem

San-

Sanguinem fundentem te,
Pudet et poenitet offensum te,
Sum qui te vendidi, judaeis tradidi,
Toties peccando; et desiderando
Lege vetita:
Ego te Barabbae postposui,
Tibi Creaturas praeposui,
Crucifige dixi,
Dum perverse vixi,
Christianum finxi me,
O! utinam possem placare Te.
Corona spinea sunt mea crimina:
Ego te ligavi, ego flagellavi,
Sceleribus:
Sum caussa sudoris sangvinei,
Efusi cruoris purpurei,
Felle te potavi,
Cor transverberavi,
In crucem adegi te,
Amando vitia transfixi te.
Sum reus omnium dolorum, vulnerum,
Vita scelerata, crux fabricata
Confiteor:
Quaecunque patravi, non amplius,
Vitam emendabo in melius,
Plangam, gemam, flebo,
Dum vivus manebo,
Offensum dolebo Te.
O Deus! o amor! exaudi me.
Patientissime, Jesu charissime,
Qui me redemisti, Sanguinem fudisti,
Ne peream:

Quid

Quid pro hoc amore retribuam?
Quid agam, ut digne respondeam?
Posthac non peccabo,
Crimina vitabo
Et solum amabo te,
Tuo servitio sacrabo me.
O Deus! trade me, o amor! amo te,
Amo, et amabo quamdiu spirabo
Toto animo:
Extra te nil quaeram, quod diligam.
Tibi me dicare non negligam;
Si hoc praescivissem,
Teque cognovissem,
Unice amassem te
Solum et unicum amabo te.

Canticum de vanitate mundi.

Cur Mundus militat sub vana gloria,
Cujus prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur ejus potentia,
Quam vasa figuli, quae sunt fragilia.
Plus crede litteris scriptis in glacie
Quam Mundi fragilis vanae fallaciae.
Fallax in praemiis virtutis specie,
Quae nunquam habuit tempus fiduciae.
Magis credendum est vitris fallacibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus.
Falsis insomniis, et voluptatibus,
Falsisque studiis, et vanitatibus.
Dic: ubi Salomon olim tam nobilis?
Vel ubi Samson est dux invincibilis?

Vel

Vel dulcis Jonathas multum amabilis?
Vel pulcher Absolon vultu mirabilis?
Quo Caesar abiit celsus imperio?
Vel dives Epulo totus in prandio?
Dic: ubi Tullius clarus eloquio?
Vel Aristoteles summus ingenio?
Tot clari proceres, tot rerum spacia?
Tot ora Praesulum, tot regna fortia?
Tot Mundi Principes, tanta potentia?
In ictu oculi clauduntur omnia.
Quam breve festum est haec Mundi gloria,
Ut umbra hominis sic ejus gaudia.
Quae semper subtrahunt aeterna praemia.
Et ducunt hominem ad dura devia.
O esca vermium, o massa pulveris?
O ros, o vanitas! cur sic extolleris?
Ignoras penitus, utrum cras vixeris:
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.
Haec mundi gloria, quae magni penditur,
Sacris in litteris flos foeni dicitur.
Ut leve folium, quod vento rapitur,
Sic vita hominum, hac vita tollitur,
Nil tuum dixeris, quod potes perdere.
Quod! Mundus tribuit, intendit rapere.
Superna cogita, cor sit in aethere,
Felix qui potuit, mundum contemnere.

Aliud.

Valete mundanae deliciae vanae!
Amantes fallaci deluditis spe:
Ut fumus peritis, ut sonus transitis.

Vos

Vos jam non valetis, decipere me.
Valete mundanae, deliciae vanae!
Amantes fallaci deluditis ſpe.
Sat diu luſiſtis, ac me decepiſtis,
Occludite mendax dulcissonum os:
Vox Jesu amoena, dulcedine plena,
Se cordi inſtillat, ut coelicus ros.
Sat diu luſiſtis, ac me decepiſtis,
Occludite mendax, dulcissonum os.
Ad ſidera pergo, me Deo immergo,
Cor totum transscribo, et animam do:
Tacete ſyrenes, ad coeli perennes
Deliciae ſontes, ad flumina ſio.
Ad ſidera pergo, me Deo immergo,
Cor totum transcribo et animam do.
Sed unicus meus jam ſponsus eſt Deus,
Principium, finis aeternus amor:
Nec mundus, nec caro, nec doemon amaro
Cupidinis telo transverberat cor,
Sed unicus meus jam ſponsus eſt Deus,
Principium, finis, aeternus amor.

Aliud.

Fraudulente munde vale,
Nil me delectabit cras,
Cras me totum immutabo,
Cras me Deo consecrabo,
Totus alter ſiam cras.

Cras

Cras jocosa non amabo,
Mihi non placebunt cras,
Cras ſuperbiam damnabo,
Cras aeterna cogitabo,
Mundo dominabor cras.
Sit poſtremus iſte dies,
Ludis valedicam cras,
Cras me non inebriabo,
Cras tabernas evitabo,
Nulli maledicam cras.
Non irascar, non peccabo,
Quidquid me infeſtet cras,
Cras carnem mortificabo,
Cras me totum ſubjugabo,
Passiones vincam cras.
Quidquid prius arridebat,
Nec verbo dignabor cras,
Cras coeleſtia requiram,
Cras ſecuram ſcandam viam,
Soli Deo loqvar cras.
Hodie adhuc recreabor.
Otium dimittam cras,
Cras conclusa non mutabo,
Cras ſtatuta renovabo,
Mundo valedicam cras.

Prius

Prius delectabar cantu,
Spernam vanitatem cras,
Cras ſyrenes aſpernabor,
Cras aeterna meditabor,
Pia delectabunt cras.
Erro: fiant, quae concluſi,
Nolo expectare cras,
Cras ingrata vox eſt corvi,
Cras non eſt vox boni ovi,
Multos ruinavit cras.
Ergo fiant, quae concluſi,
Quis ſcit, quid me fiet cras,
Cras nulli promiſit Deus,
Cras non, ſed nunc fleo reus,
Praeſtat modo, et non cras.

De anima.

O anima! par coelo ſpiritus,
Regina terrae, rerum Domina,
Tu vitae flos. naturae dos,
Pars prima hominis, imago Numinis
Pulcherrima,

Tu pretium, tu gemma corporis
Pulchrum Triados es palatium,
Felicitas, aeternitas
Sunt tui comites, plus ultra limites,
Mortalium,
Es nivea, ſic pinxit gratia,
Cruore ſacro tu purpurea;
Nam Jesu mors, eſt tua ſors,
Redempta meritis tu Dei hominis,
Stas libera.
Tot ſidera, tot faces ſtelleae
Ardent, ad tuos nutus obsequa.
Ætherea te atria,
Expectant hospitam, aeterna conditam
Pro gloria.
Eſt unica, hanc cave perdere,
Amissa hac pereunt omnia,
Mundus abit, vita fugit,
Recedit vanitas, non immortalitas
Ab anima. Amen.

De fine hominis.

Ubi anima vagaris?
Tua in quo vita ſtat?
Falsa bona cur ſectaris?
Mundus quae dolosus dat?
Cogita, cur ſis creata,
Et conjuncta corpori?
Ne aeternum ſis damnata,
Stude finem assequi.
Nosse Deum, huic ſervire
Tuum eſt negotium:
Legi ejus obedire,
Magnum feret praemium.
Deum igitur timere
Disce, ſi ſalvari vis;
Ejus jussis morem gere,
Ut aeternum felix ſis.

De gravitate peccati.

Quam horrenda res peccatum?
Angelis exitium,
Et Adamo, vix patratum
Attulit exilium.

Quisquis ergo Deum noscis,
Cave ab aeterno vae!
Si ſalutem tuam poscis,
Jam peccare desine.
Nam ſi peccas, Deum ludis,
Sed o ter infauſta ſors!
In te ipsum fulmen cudis,
Tua eſt peccatum mors.
Jesum olim hoc occidit
Diro lethi genere;
Hoc portentum orbis vidit,
Aſt non videat in me.

De morte.

Ergo mihi moriendum,
Sim colonus, ſive Rex!
Quidquid amo, deserendum;
Haec ſtatuta nobis lex!
Felix, Deo qui ſervivit;
Non eſt huic timenda mors;
Qui caduca non ambivit,
Huic beata mane ſors.
Si peccata perpetraſti,
Quae ſit bonae mortis ſpes!

Mun-

Mundum ſemper ſi amaſti,
Quae te tum ſoletur res?
Nunc nunc tempus eſt plangendi,
Si beate mori vis,
Nunc delicta confitendi,
Tempus nunc, ut inſons ſis.

De Judicio.

Cum fulgebit illa Dies
Teſtis mundi criminum,
Qua ſceleſtis nulla quies,
Heu me! quid facturus ſum?
Judex ſi interrogabit,
Quid responsi miser dem?
Si me reum comprobabit,
Ubi tutus latitem?
Jesu! qui me dilexiſti,
Per cruorem oro te!
Insons quem pro me fudiſti,
Nunc a culpis ſolve me.
Qui ex Agno eris Leo,
Juſtus absque gratia,
Nulli parcens vindex reo,
Veniam nunc mihi da.

De Inferno.

Ah infelix! o Peccator!
Quam te triste manet vae,
Audax criminum patrator,
Quis habebit carcer te!
Contra Deum qui peccavit,
Culpas nunquam eluit,
Voluptate corpus pavit,
Ad infernum praeceps it,
Carcer, ignis o funeste!
Quis perferre queat te?
Quid, Propheta Sacro teste
Sine ulla pati spe?
Praestat ergo cruciari,
Dum in mundo vivimus;
A peccatis expiari,
Dum salvari possumus.

De Filio prodigo.

Sic accepta sorte, natus
Linquit Patrem prodigus:
Sed mox omnibus privatus,
Coepit esse indigus.

Ah

Ah quid miser ſum facturus?
Qua me ſoler, ait, ſpe?
Sum ad Patrem rediturus;
Forsan haud repellet me.
En ut Pater revertentem
Suis ſtringit brachiis!
Stola veſtit indigentem,
Lautis pascit epulis.
Qui a Deo recessiſti,
Dole, ac revertere;
Si peccata defleviſti,
Rursum is fovebit te.

Hym-

Hymnus Ambrosianus.

Te Deum laudamus:
Te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem:
Omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli:
Tibi coeli, et universae potestates:
Tibi Cherubim, et Seraphin;
Incessabili voce proclamant;
Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt Coeli, et terra;
Majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus
Laudat exercitus.
Te per orbem terrarem
Sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensae Majestatis.

Ve-

Venerandum tuum verum,
Et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum,
Tu Rex gloriae Chriſte!
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuscepturus hominem,
Non horruiſti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo
Aperuiſti credentibus Regna cœlorum:
Tu ad dexteram Dei ſedes
In gloria patris:
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus tuis ſamulis ſubveni,
Quos pretioso ſanguine redemiſti:
Æterna fac cum ſanctis tuis
In gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine:
Et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, et extolle illos
Usque in aeternum.

Per

Per ſingulos dies benedicimus te,
Et laudamus nomen tuum in ſaeculum;
Et in ſaeculum ſaeculi,
Dignare Domine die iſto:
Sine peccato nos cuſtodire.
Miserere noſtri Domine:
Miserere noſtri.
Fiat misericordia tua Domine! ſuper nos,
Quemadmodum ſperavimus in te.
In te Domine! ſperavi.
Non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum S. Spiritu.

℟. Laudemus, et ſuperexaltemus eum in ſaecula.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non eſt numerus, et bonitatis infinitus eſt thesaurus: piissimae Majeſtati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eosdem non deserens ad prœmia futura disponas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Modus miniſtrandi.

Ad Introitum.

Sacerdos.

In nomine † Patris, et † Filii, et Spiritus † Sancti Amen.

Sac. Introibo ad Altare Dei.

Min. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non ſancta; ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti, et quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M.

M. Et introibo ad Altare Dei; ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cythara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui ſancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et ſemper, et in ſaecula ſaeculorum. Amen.

S. Introibo ad Altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor, etc.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptiſtae, Sanctis Apoſtolis Petro, et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere; mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te Pater, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

S. Misereatur veſtri omnipotens Deus, et dimissis peccatis veſtris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum noſtrorum, tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

M.

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

Poſt Introitum.

S. Kyrie eleison.

M. Kyrie eleison.

S. Kyrie eleison.

M. Chriſte eleison.

S. Chriſte eleison.

M. Chriſte eleison.

S. Kyrie eleison.

M. Kyrie eleison.

S. Kyrie eleison.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Per omnia ſaecula ſaeculorum.

M. Amen.

Ad ſinem Epiſtolae.

M. Deo gratias.

Ad

Ad Evangelium.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Initium ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

M. Gloria tibi Domine.

Ad finem Evangelii dicit:

M. Laus tibi Chriſte.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

Poſt Offertorium.

S. Orate Fratres,

M. Suscipiat Dominus hoc ſacrificium de manibus tuis, ad laudem, et gloriam nominis ſui, ad utilitatem quoque noſtram totiusque ecclesiae ſuae ſanctae.

S. Per omnia ſaecula ſaeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum ſpiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

M. Dignum, et juſtum eſt.

Poſt

Post Elevationem.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos a malo.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Post Communionem.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Ite, Missa est; *vel* Benedicamus Domino.

M. Deo gratias.

Tempore Paschali additur:

Alleluja Alleluja.

In Missa Defunct.

S. Requiescant in pace.

M. Amen.

S. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † ſanctus.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum ſqiritu tuo.

S. Initium ſancti Evangelii ſecundum Joannem.

M. Gloria tibi Domine.

Ad finem Evangelii.

M. Deo Gratias.

INDEX PRECUM.

Ora-

De-

Index Hymnorum.

O

INDEX.